



Specimen juridicum inaugurale de vi novae legis fundamentalis inde ab ipsius promulgatione computanda

<https://hdl.handle.net/1874/321390>

SPECIMEN JURIDICUM INAUGURALE,
DE VI NOVAE LEGIS FUNDAMENTALIS

INDE

AB IPSIUS PROMULGATIONE COMPUTANDA.

SPECIMEN JURIDICUM INAUGURALE,
DE VI NOVAE LEGIS FUNDAMENTALIS
INDE AB IPSIUS PROMULGATIONE
COMPUTANDA,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

HERM. JOH. ROYAARDS,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO ET SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

GUILIELMUS LEONARDUS VOORDUIN,

Rheno-Trajectinus.

A. D. VII M. MARTII A. MDCCCL, HORA I.

TRAJECTI AD RHENUM,
APUD C. BIELEVELT.

MDCCCL.

EXPOSITIO THEOLOGICA
DE NOVA JERUSALEM
ET DE NOVA PERSPECTIVA
COMPLETA.

SCRIPTA A JOHANNI

HERMANNI

IN HANNOVERA

MDCCCXXXIII

IN HANNOVERA

IN HANNOVERA

IN HANNOVERA

IN HANNOVERA

IN HANNOVERA

PARENTIBUS OPTIMIS, CARISSIMIS.

PRAEFATIO.

In specimine conscribendo unice mihi proposui vim exponere novae legis fundamentalis Nederlandicae, inde ab ipsius promulgatione computandam. Non id egi, ut de ipsâ hacce lege fundamentali scriberem, eamque interpretari conarer; plurima mitti posse putavi, quae alioquin desiderarentur. Itaque non omnia quae de lege fundamentali tam veteri quam novâ scripta sunt, et quorum notitia a viris doctis exstat 1), recensenda esse duxi. In non-

1) Plurima memorant et alii et imprimis viri cl. C. A. DEN TEX et J. VAN HALL, in operibus: *Bijdragen tot Regtsq. en Wetg.* etc. III. p. 424; V. p. 424; VI. p. 164 seqq., 555, 562—566; VIII. p. 5—33; XI. p. 424; XII. p. 273. *Nederl. Jaarboeken voor Regtsq. en Wetg.* etc. II. p. 89 seqq., p. 98—158; III. p. 300 seq., 390 seqq.; IV. p. 248 seqq.; V. p. 276 seqq.; VI. p. 254 seqq.; VII. p. 103, 152—154, 323 seqq., 393; VIII. p. 97, 103 seqq.; IX. p. 99 seqq.; X. p. 120, 123 seqq., 358

nullis locis tamen, ubi argumentum id postulare videbatur, vel ipse interpretationem quandam tentari, vel retuli scripta eorum, qui in hocce juris loco enucleando primarii sunt habendi, dum e deliberationibus de condendâ aut mutandâ nostrâ lege fundamentali habitis, subinde verum sensum legis indagare studui.

Specialiora igitur non attigi, et hoc quidem, ut eo magis elucescant illa principia, quae in materiâ subjectâ primaria atque summa sunt habenda.

Parentibus optimis horum studiorum fructus dicati sunt; Tibi praesertim, carissime Pater! Gratus in memoriam revoco quod Tibi debeo. Non tantum continuo me ad studia es adhortatus, sed et in ipsis numquam mihi defuisti. Raddere Tibi sane numquam potero, quae mei solius amore in me impendisti; id tamen semper pro viribus assequi conabor, ut, tum recte vivendi studio, tum indefesso

seqq., 364, 509 seqq., 514; XI. p. 128—131, 134—149, 187 seqq., 221 seqq., 387 seqq., 804 seqq.; Regtsg. Bijblad, behoorende tot de Nederlandsche Jaarb. etc. I. p. 241, 355, 465, 497, 513; II. p. 113, 209, 229, 241, 317, 320, 361, 440; III. p. 196, 201, 337, 385; IV. p. 113, 701, 786; V. p. 190, 383, 386, 396, 633; 638; VIII. p. 59 381; X. p. 241, 577; XI. p. 220, 368, 436, 545, 575.

labore, viam sequar, quam mihi monstrasti non solum, sed et in qua mihi exstitisti antecessor dignissimus.

Cum matre carissimâ, sit vita Tibi longa, sit vita Tibi felix; numquam, quod faxit Deus Optimus Maximus! Tibi fructus desint amoris atque studii, quibus me prosecutus es atque adfuisti!

Sed et Vobis multum debeo, Viri Clarissimi, Praeceptores dilectissimi, qui studiis meis favistis! Lectionibus vestris, et singulari Vestrâ erga me benevolentîâ, me Vobis grato animo devinxistis. — Te nominatim compello, clarissime VREEDE! Morbus impedivit, quominus, quod in votis erat, mei commodi causâ perfeceris; beneficia in me jam collata, ita auctus fuisses quam maxime!

Dulce tamen mihi fuit, clarissime VAN HALL, Promotor aestumatissime! quod mihi, licet Tuis discipulis non adnumerando, opem ferre haud recusaveris. Gratias Tibi ago, quas possum maximas pro magnâ benevolentîâ, quâ erga me usus es in opere meo prudenter perlustrando, atque, pro liberalitate Tuâ, ita quidem, ut jam meum ipsius, qualecunque tandem sit, non Tuum opus referam. Te expertus sum indulgentem Magistrum; utinam amicitîâ Tuâ in posterum me non indignum habeas!

Academiae Rheno-Trajectinae valedicturus, et Vobis, Sodales amicissimi! valedico. Jucundum, utinam et non prorsus infructuosum, fuit tempus, dum Vobiscum versatus sum. Studiosus Vos relinquo, amicus certus semper Vobis sum futurus.

Vos autem imprimis inter sodales, qui me inde a teneris annis familiariter usi estis, amicitia verâ semper me coluistis; prospera fortuna ita gaudium praebuit, nec, adversâ fortunâ, defuit solatium. Vinculum illud artissimum, quo hodiedum devincti sumus, nos conjungat in omne vitae tempus!

SPECIMINIS CONSPECTUS.

INTROITUS.

Pag.

- § 1. Jus transitorium in universum.....1 —3
Jus transitorii origo et natura, p. 1.
- § 2. Fontes juris transitorii..... —3
Leges, *transitoriae* dictae. Jurisconsultorum doctrinae in hocce juris loco, p. 3.
- § 3. Speciminis argumentum.....3 —4
Partes continet duas: theoreticam atque practicam, p. 3. Prioris partis divisio, p. 4.

PARS PRIOR.

JURIS TRANSITORII FONTES.

CAPUT I. LEGES TRANSITORIAE.

- § 4. Leges transitoriae in universum.....5 —6
Leges antiquae, tum exterae tum patriae, p. 5.
- § 5. Lex transitoria Nederlandica anni 1838.....6 —7
Generalia praecepta continet, deducta ex summo juris principio (Art. 1 et 2 legis transitoriae), p. 6.
- § 6. Lex transitoria civilis applicanda ad jus publicum.....7 —9
Lex civilis arctissimo vinculo cohaeret cum lege fundamentali, iisdem nititur principiis, p. 7. — Non indistincte tamen una ad alteram protrahenda, p. 9.
- § 7. Ipsius legis fundamentalis placita, quae jus transitorium spectant.....10 —13
Quae exstant, vel per intermedium tantum tempus valent (Art. 3 et 1 Cap. XII), p. 10, vel ipsius legis fundam. placita restringunt (Art. 7 Cap. XII), p. 12.

CAPUT II. DOCTRINAE JURISCONSULTORUM IN LOCO DE
LEGE NOVA AD PRAETERITUM NON REVOCANDA.

- Pag.
- § 8. Jurisconsultorum doctrinae in universum....14—15
Non omnes sunt attendendae, p. 14. — Diversae
sunt naturae, p. 15.
- § 9. Jurisconsultorum doctrinae speciatim.....15—25
Eodem nituntur principio diversae doctrinae, p. 15. —
Spectant I objectum legis, p. 17; — II ambitum tem-
poralem legis, p. 18; — III objectum et ambitum legis
simul, p. 21.
- § 10. Jurisconsultorum doctrinae circa jus civile, ap-
plicandae ad jus publicum.....25—28
Regulae generales adaequandae legi fundamentali,
p. 25. — Doctrina sufficit diversi generis placitis, in
lege fundamentali receptis, p. 27.
- § 11. Conclusio28—29
Regulae, in alterâ parte applicandae, p. 28. — Al-
terius partis divisio, p. 29.
- § 12. Observationes praeviae.....30—31
1°. De ipsâ lege fundamentali novâ, p. 30. — 2°. De
legibus specialibus, ex eâ ferendis, p. 30. — 3°. De
legis novae fundamentalis promulgatione, p. 31.

PARS ALTERA.

NOVAE LEGIS FUNDAMENTALIS VIS ET EFFICACITAS.

CAPUT I. REGIMINIS FORMA ATQUE REGNI COMPOSITIO.

- § 13. Lex fundamentalis nova comparatur cum lege
fundamentali veteri32—34
Regiminis forma eadem; nonnulla tamen lege spe-
ciali ordinanda, p. 32. — Regni compositio in elec-
tionibus, mutata, p. 34.
- § 14. Vis sempiterna veteris legis fundamentalis..34—36
Sub lege veteri legitime constituta, ex eâ lege de-
finienda. Exempla, p. 35. — Notitia veterum consti-
tutionum, utilissima, p. 35.

Pag.

- § 15. Vis intermedia veterum legum, caeterorum-
que juris veteris fontium, circa ea, quae etiamnum lege speciali sunt ordinanda.....36—40

Vetera placita circa Ordines Provinciales et Collegia Communalia; etiamnum valent. Tres quaestiones (artt. 127, 131 veteris legis), p. 37. — Placita, quae de caeteris collegiis exstant. Exempla, p. 33.

- § 16. Plena vis novae legis fundamentalis.....40—53

Ea, quae lege speciali sunt ordinanda, interea nonnisi *lege mutanda*, p. 41. Quaestio (art. 126 Const. de Ord. Prov. d. 23 Julii 1825), p. 42. — Negotia pendentia novâ lege regunda. Quaestio (art. 158 novae legis), p. 43. — Lege provisoriâ restringuntur ipsius novae legis placita. Quaestio (art. 78 novae legis), p. 44. — Nova lex expressis verbis statuens, obedienda. Quaestio (art. 4 § 1 add. novae legis), p. 50.

CAPUT II. JURA ATQUE OFFICIA AD IMPERII
ACTUS NECESSARIA.

- § 17. Lex fundamentalis nova comparatur cum lege
fundamentali veteri.....53—59

Legislatoria potestas aucta, p. 54. — Exsecutoria potestas accuratius descripta, p. 57. — Caetera, quae nova lex mutavit, jura et officia, p. 58.

- § 18. Vis sempiterna veteris legis fundamentalis...59—63

Jura ex veteri lege nata, ex eâ lege dijudicanda. Quaestiones *a.* (art. 57 veteris legis), p. 60; *b.* (art. 125 § 3 veteris legis), p. 62.

- § 19. Vis intermedia veterum legum, caeterorum-
que juris veteris fontium, circa ea, quae etiamnum lege speciali sunt ordinanda.....63—66

Multa in hocce capite vetera placita etiamnum vim obtinent. Exempla, p. 64. — Quaestio (Art. 2 Decr. 18 Dec. 1813, S. B. 1814, no. 1), p. 65.

- § 20. Plena vis novae legis fundamentalis.....66—75

Ea, quae lege speciali sunt ordinanda, interea nonnisi *lege mutanda*. Exceptiones *a.* (artt. 59 novae legis, p. 66). *b.* (art. 167 *ibid*), p. 66. — Negotia mere futura. Exempla, p. 67. — Negotia pendentia

novâ lege regunda. Quaestiones *a.* (art. 67 novae legis), p. 68; *b.* (artt. 68, 132 *ibid.*), p. 69; *c.* (art. 122 *ibid.*), p. 69. — Jura noviter concessa, statim applicanda. Quaestio (artt. 89, 90 novae legis), p. 70. — Lex nova statim observanda, ubi mutavit veterem legem aliaque placita. Exempla, p. 71. Quaestio (art. 124 novae legis), p. 72. Ubi ea auxit vel excepit. Exempla, p. 74.

CAPUT III. JURA ATQUE OFFICIA CIVIUM.

Pag.

- § 21. Lex fundamentalis nova comparatur cum lege
fundamentali veteri75—78

Mutationes in lege novâ introductae, primario spectant jura civium. Ratione ipsorum civium, diversi generis mutationes inquirendae, p. 75. — Jura incolarum accuratius descripta, p. 77.

- § 22. Vis sempiterna veteris legis fundamentalis...78—81

Jura ex veteri lege nata, ex eâ lege dijudicanda. Quaestiones *a.* (art. 9 veteris legis), p. 79; *b.* (art. 66 *ibid.*), p. 80; *c.* (art. 68, 146 *ibid.*), p. 81.

- § 23. Vis intermedia veterum legum, caeterorumque juris veteris fontium, circa ea, quae etiamnum lege speciali sunt ordinanda.....81—86

Lex specialis ordinatoria in art. 7 § 1 novae legis fund., non habendus est Codex Civilis, p. 81. — Nunc etiam observanda, quae antea exstabant de Nederlandis ratione nativitatis. Quaestio (art. 7, 8 veteris legis), p. 84. Veteres leges atque alia quaedam placita, p. 85.

- § 24. Plena vis novae legis fundamentalis.....86—94

Quae lege sunt ordinanda, solâ lege mutanda. Exceptio (art. 187 novae legis), p. 86. — Negotia pendencia ex novâ lege dijudicanda. Quaestio (art. 159 novae legis), p. 87. — Jura atque officia mutata, lege novâ regunda. Quaestiones (Cap. VIII novae legis), p. 88. Idem de lege speciali, p. 90. Exempla, p. 91. — Aequitatis ratio in lege applicandâ non habenda; leges semper futura spectant, numquam ad praeterita revocandae, p. 91. Quaestio (art. 2 add. novae legis), p. 91—94.

DE VI NOVAE LEGIS FUNDAMENTALIS

INDE

AB IPSIUS PROMULGATIONE COMPUTANDA.

INTROITUS.

§ 1. In applicandis legibus positivis duo sunt, iique gravissimi, juris loci. Arcissimo vinculo secum invicem sunt conjuncti. Uterque ambitum legis ejusque vim et efficaciam spectat: *territorialem* scilicet et *temporalem* (1).

De ambitu legis scriptae territoriali prioribus temporibus plurimi egerunt. Cum enim olim, tum passim per Europam, tum in patria quoque nostra diversae reipublicae regiones, provincias dico, imo urbes atque adeo oppida quoque diverso saepe jure uterentur, hiece juris locus quotidie fere quaestiones suas habebat (2). Post novos eosque universales Codices legum promulgatos, inde a fine superioris aevi, territorialis ille ambitus rariores quaestiones protulit. De tem-

1) Vid. quae novissime de his quaestionibus habet celeberr. von SAVIGNY, *System des heutigen Römischen Rechts*. Berlin 1849, vol. VIII. p. VII. § 344 in f. § 383.

2) Vidd. P. VOET, *de Statutis*. Amst. 1661; RODENBURCH, *Tractatus de jure conjugum*, tit. pr. de Statutis; VAN WEZEL, *ad Novellas Const. Ultr.* aliique.

porali vero legum ambitu, vi et efficacia plurimum inde ab eo tempore disputari coepit.

Novi Codices valebant in omnibus territorii partibus univ-erse, et ibi unam eandemque vim habebant obligatoriam inde ab ipsorum promulgatione.

Licet ita constitutum fuerit jus universale, quod frustra diu, etiam in Republica Batava, tentaverant legislatores (1), aliter fieri non potuit, quin jus illud universale in permultis Reipublicae partibus toto coelo diversum exstiterit ab eo, quod ibi haecenus obtinuerat.

Tempore quo novi illi Codices promulgabantur, multa negotia secundum jus, quod illis Codicibus abrogabatur, jam perfecta erant, aut inchoata, aut pendentia. Quaestiones igitur de ipsis negotiis permultae non oriri atque adeo der-epente non exurgere non poterant. Ab unâ parte stabat lex vetus qua vigente jura constituta erant, nata, incepta; ab alterâ parte jus novum, quo vigente effectus horum ne-gotiorum locum habere debebat, et iudicis sententia de iis implorabatur. Verbo: quaestio oriebatur, num novi illi Codices statim ad omnia omnino negotia essent applicandi sine ullâ distinctione.

Nonnulli Jurisconsulti indistincte *affirmando* responde-runt. Alii contra Jurisconsulti (et, ut nobis videtur, sum-mo jure) distinxerunt. Salvum quidem principium habebant: *legem scriptam valere inde ab ipsius promulgatione, et futura tantum spectare negotia*, sed merito respexerunt id quod antea rite ac legitime natum fuerat; respexerunt legem, qua initium negotii rectum fuerat.

Ita celeberrimae illae quaestiones in jure territoriali,

1) Ampliss. THORBECKE, *Schets eener Geschiedenis der Prov. Burg. Wetgeving in de republiek der Vereenigde Nederlanden. Nederlandsche Jaarboeken voor Regtsgeleerdheid en Wetgeving, verzameld en uitgegeven door Mr. C. A. DEN TEX en Mr. J. VAN HALL. 1833, I. n^o. 1, p. 39 seqq.*

num Statuta TERRITORIUM egredi possint, in jus transitorium migrarunt, ubi quaeritur, num leges TEMPUS possint excedere.

Spectat igitur jus transitorium quaestionem de applicatione legis, veteris aut novae, ad ea negotia quae sub lege veteri vel peracta sunt, vel ortum ceperunt, post legem novam ad effectum perducenda atque dirimenda, verbo: in jure transitorio agitur de vi novae legis, computandâ inde ab ipsius promulgatione.

Prouti omnis novae legis promulgatio quaestiones de jure transitorio offert, ita et novae Legis Fundamentalís Nederlandicae promulgatio diei 3 Nov. 1848, eas protulit uberrimas.

§ 2. Fontes autem juris transitorii, sive regulae secundum quas hae quaestiones sunt dijudicandae, duplicis sunt generis: sc. legislatores subinde leges speciales hac de re condiderunt, *leges transitorias* tulerunt, vel Jurisconsulti doctrinas suas de hocce juris loco exposuerunt.

Arctissimo vinculo illi fontes inter se sunt conjuncti; nam in leges transitorias Jurisconsultorum doctrinae maximam exseruerunt vim; et contra, principia quae in legibus transitoriis ediderant legislatores, amplum campum prae-buerunt Jurisconsultis, ut huncce juris locum excolerent.

Fontes illi universe spectant solutionem in quaestionibus de jure *civili*. Si quaerimus de jure *publico*, leges transitoriae nullae in lege fundamentali novâ Nederlandicâ inveniuntur, atque vix tanguntur; adeo quae huc spectant, pauca quaedam in iis placitis quae legi fundamentali in capite XII, *addendorum articulorum* nomine, adjiciuntur.

Jurisconsultorum doctrinae, si perpauca loca excipias, jus publicum non spectant.

§ 3. Quaestio igitur, quatenus sive leges transitoriae de

jure *civili*, sive Jurisconsultorum doctrinae in hocce juris loco quae jus *civile* spectant, sufficiant ad quaestiones transitorias de jure *publico* Nederlandico dirimendas, gravissimi nobis videbatur momenti. Argumentum dissertationis inde sumpsimus, et in eo ita versabimur, ut in parte priori (quam *theoreticam* vocamus) breviter agamus de juris transitorii fontibus, et quidem in capite I, de *legibus transitoriis*, in capite II de *Jurisconsultorum doctrinis in hocce juris loco*.

In alterâ parte (quam *practicam* dicimus) agendum erit de nonnullis quaestionibus, quae oriuntur, novâ lege fundamentali promulgatâ. Applicandae erunt in hacce parte regulae tam generales quam specialiores, quas e legibus transitoriis et doctrinis Jurisconsultorum in hocce juris loco, deduximus in parte priori.

Paucis praemissis de lege nova fundamentali atque de legum specialium natura, quas lex nova fundamentalis requirit, tribus capitibus materiam absolvere conabimur, secundum divisionem de qua infra (§ 11) videbimus.

PARS PRIOR.

JURIS TRANSITORII FONTES.

CAPUT I. LEGES TRANSITORIAE.

§ 4. In jure Romano locus de vi legis novae in jus antiquum, rarius erat tractandus; nova jura rara erant et odiosa; et vel sic tamen juri Romano, etiam hoc nomine, sua competit laus. Tractantur in eo de jure transitorio quaestiones, et tractantur perite atque prudenter (1).

Subinde etiam in patria nostra de hisce argumentis in scriptis doctorum virorum actum est (2), et per leges quaestiones nonnullae transitoriae diremptae sunt (3).

1) Primario hic nominandae sunt l. 7 C. de legg. et l. 64 C. de Dec. Multa praeterea enumerantur apud WEBER, *Ueber die Rückanwendung positiver Gesetze*. Hanov. 1811; BERGMANN, *Das Verbot der Rückwirkenden Kraft neuer Gesetze im Privatrechte*. Hann. 1818; VON STRUVE, *Ueber das Positive Rechtsgezet, rücksichtlich seiner Ausdehnung in der Zeit*. Gött. 1831; VON SAVIGNY, *System des heutigen Röm. Rechts*. Berl. 1849. vol. VIII.

2) Sic quaestiones nonnullas transitorias enuclearunt H. DE GROOT, in opere *Holl. Consult.* III. 2^b. Cs. 144. VI. Cs. 55; VAN DE SANDE, *Decisiones Frisiae*. Leov. 1638. l. II. LIV. dic. VI; A. GAIL, *de Keyserlyke Praktyke*. Rott. 1656. 2^o B. IX. Obs.; P. VOET, *de Statutis*. Amst. 1661. Sect. VIII. c. 1, no. 3; ADR. VAN WEZEL, *Comment. ad novell. Constitutiones Ultrajectinas*. Tr. ad Rh. 1666; S. V. LEEUWEN, *Het Roomsche Holl. Regt.* ed. VIII. Amst. 1708. I B. III D. No. 76.

3) Sic, inter multa alia, quod ad Provinciam Trajectinam, prima-

Introductis saeculo praecedenti sive novis legum Codicibus, uti in Austria atque in Borussia, — sive introducto in diversis Europae partibus, Codice Napoleontico, leges transitoriae latae sunt (1). Mutato jure, de vi novae legis in negotia sive ante acta sive praesentia egerunt legislatores.

§ 5. Sic etiam apud nos, cum introducebatur legum Codex anno 1838, eodem quoque tempore promulgata est lex transitoria (2), in qua ea, quae hactenus optima exstabant atque exculta fuerant, comprehenduntur. In hacce lege summum principium articuli 4 Dispositionum juris nostri Generalium enucleatur, et quidem universe in capite 1^o hujus legis, artt. 1 et 2 (3). Mittimus articulos 3 et 4 legis transitoriae, quia in iis agitur de vi legis novae in conventiones et testamenta, de quibus in jure publico sermo non est.

Articuli praedicti regulas afferunt duas:

rio in censum venit: *Ordonnantie Decisoir, tot wegneeminge van verscheide quæstien en processen, gearresteert by de Ed. Mog. Heeren Staten 's Lands van Utrecht op den 14^e April 1659*. Vid. VAN ZURCK, *Codex Batavus*. Delft 1711. voce BETALINGEN, § 1. MUNTE, § 4.

1) Videantur quod ad Borusciam attinet, *Publications-Patent vom 5 Febr. 1794*, aliaque quae memorat BERGMANN, l. l. p. XIV, uti et ipsius Codicis Boruscici placita (*Algem. Preuss. Landr.*) apud VON STRUVE, l. l. § 20, 21; BERGMANN, l. l. p. XIV et passim; WEBER, l. l. n^o. 12, 13. Permultas praeterea leges transitorias, quae spectant Codicis Nap. introductionem tum in Francia, tum in aliis regionibus, enumerat BERGMANN, l. l. p. XV—XVIII, et VON STRUVE, l. l. § 22, p. 103 seqq. WEBER, l. l. n^o. 14. 15. FORTUYN, *Verz. van Wetten en Besl.* etc. Amst. 1841. Leges transitorias, latas ad introductionem Codicum Regis LUDOVICI, vide *Koninklijke Courant*, 1809, n^o. 72 et 137, caet.

2) *Wet op den overgang van de vroegere tot de nieuwe wetgeving*.

3) Vid. oratio Consult. SYPKENS, in Camera Secunda, die 23 Febr. 1829, quam exhibuit pater meus optimus VOORDUIN, *Geschiedenis en Beginselen der Nederl. Wetb.* l. 2^o ad legem transit, XIV—XX, impr. p. 75 seqq.

1°. Mutationes in jure, ex novâ lege oriundae, vim non habent in jura, ante legis promulgationem acquisita (1).

2°. Negotia, quod ad formam, reguntur lege sub quâ peracta sunt, nec attendenda est forma quae in lege novâ praescribitur (2).

§ 6. Dubium existere possit, an haec regulae, quae de jure civili sunt editae, etiam ad jus *publicum* applicandae sint. Alia quidem est natura juris civilis proprie ita dicti, et quo regitur jus civium inter se invicem, — alia est natura juris publici, quo regitur jus inter cives et ipsam civitatem (3). Cohærent tamen arctissimo vinculo; constituunt enim jus universum quod in civitate viget (4); nituntur iisdem summis principiis (5). Jus etenim, qualiscunque sit generis, legibus continetur; ex legum vi et auctoritate jura oriuntur, acquiruntur, exercentur, — sive sint politica, sive sint civilia.

Causa ergo cur regulae ex jure civili ad jus publicum applicari non possint, unice ab eo petenda esset, quod natura legum civilium atque publicarum, inter se differt.

1) *Wet op den overgang* etc. art. 1.

2) *Legis citatae* art. 2.

3) DEN TEX, *Encyclopaedia Jurisprudentiae*. Amst. 1839, p. 82, 85, 98.

4) SCHMALTZ, *Encyclopaedia Juris per Europam communis*. Ed. 3^e, Lat. 1^o. Berol. 1827, § 75—77.

5) Mr. C. W. OPZOOMER, *De Souvereiniteit des Volks*. Leyd. en Amst. 1849, nota 1, p. 73. Ut jus publicum exigimus ad jus civile, sic inversâ fere ratione jus civile exigi potest ad jus publicum: «La conséquence naturelle,” ita MAILHER DE CHASSAT, «de la pensée de «Bacon, que le droit civil tire toute sa force du droit public, est qu’il «doit aussi puiser ses meilleures interprétations dans le droit public. «Il y a plus; cette fiction, considérée de près, conduit à penser, «que le droit civil n’est, à proprement parler, que le droit public «lui-même, appliqué dans des formes spéciales aux intérêts privés.” *Traité de la rétroactivité des Lois*. Paris 1845, Vol. I. pag. VI.

Argumenta nimirum afferre hic possent illi, qui legem fundamentalem quasi *pactum* haberent, initum inter Cives et Imperantem, quo definiretur, sub quibusnam conditionibus jura nonnulla Cives in Imperantem transtulerint. Illi totius civitatis fundamentum habent pactum sociale, ab eo originem legis fundamentalis deducere vellent; atque ita legis illius fundamentum habent in consensu Civium atque Imperantis; dum leges civiles nituntur potestate ipsius Imperantis. Sic natura ejus legis fundamentalis prorsus alia esset ac legis civilis; hanc ab causam regulae legis civilis spectare non possent legem fundamentalem.

Verum origo legum quibus ipsa societas civilis primario nititur (ita observatum est) non repetenda videtur ex ipso pacto sociali (1). Leges illae ergo non sunt conditiones, quibus pactum circumscribitur. Magis proficisci videntur ex violatione juris quo civitates, peraeque atque homines singuli, reguntur atque quasi continentur. Legibus istis, quae *fundamentales* dicuntur, id agitur, ut caveatur in futurum contra abusus, ut potestates in civitate et cives ipsi, quoad ipsorum jura ac officia, intra debitos suos fines restringantur; verbo, ut servetur omnium omnino libertas.

Haecce cautio ordinatur a legislatoria potestate, ex facultate ipsi mandata. Per legislatariam potestatem ergo statuitur, quid contra abusus valeat; remedia illa efficaciter afferuntur in lege fundamentali. Eodem modo in legibus civilibus novis sanantur mala, quae in civitate adesse, experientia docuit.

Neque hisce obstat, quod modus quo lex fundamentalis mutatur, differat a modo quo lex, universe ita dicta, constituitur, — quod magis complicata forma adhibeatur. Nonnulli putare possent, hancce formam sapere pactum aliquod

1) Vid. G. J. B. BEZIER, *Spec. Jur. Publ. de legum Fund. indole et mbitu*. Tr. ad Rh. 1849; p. 2.

novum, inter Cives ineundum et inter Imperantem; ideo provocari quasi ad ipsum populum (1).

Ex solâ formâ non valet ratiocinatio. Major civium auctoritas, majores in deliberando ambages, forma illa extraordinaria repetenda sunt ex gravitate objecti, quod spectat scilicet constituendam, emendandam, imo, ut perhibent, fundandam quasi denuo rempublicam. Non aliter enim votum emittunt socii Ordinum Generalium, non aliter agit Rex, quam in constituendis ceteris legibus. Quare quae valent in jure privato, hocce nomine, juris principia, non minus valere dicenda sunt etiam in jure publico. Quo graviora sint juris argumenta, eo diligentius ad genuina exigenda sunt juris principia.

Legum Lex igitur non immerito a nonnullis vocata est lex fundamentalis. A lege universe ita dicta, non aliter differt, quam ratione objecti de quo agitur, et modi quo constituitur ipsa lex; caeterum vero hoc quidem nomine legis illius natura non diversa est a natura legis civilis. Neque dicat aliquis, legem tamen transitoriam de jure civili latam, non indistincte ad negotia publica protrahendam esse. Nam qui hoc dicit de lege ea, quae ex genuinis juris communis principiis est deducta, atque cum perpetuis justis et aequis regulis convenit, errare facile videbitur; qui vero ita statuit de lege quae ab iis regulis recedere videatur, me omnino habebit adsentientem, sed eundem animadvertentem etiam, ejusmodi regulam ne in toto quidem universoque jure civili valere, sed in eo casu tantum de quo ita, parum fortasse prudenter, legislator statuit. Quae enim contra juris rationem recepta sunt, jam ex antiquo prudentium praecepto, non producenda sunt ad consequentias.

1) Vidd. artt. 196, 197 legis fund. anni 1848; artt. 227—230 legis fund. anni 1815.

2) VON STRUVE, l. l. § 3, p. 13 et 13, nota a.

§ 7. Spectant duae illae regulae, quas supra memoravimus in § 5, solummodo ea negotia, quae absoluta sunt tempore promulgationis novae legis fundamentalis. De hisce silet ipsa lex; sunt tamen applicandae tamquam summa juris principia, quae valent in universum jus.

De negotiis, quae etiamnum sunt peragenda, loquitur nostra lex nova fundamentalis in articulis 3 et 1 Capitis XII, quod addenda legi placita continet.

In articulo 3 omnibus legibus, caeteris placitis quibuscunque, quae vim obligatoriam habent tempore novae legis fundamentalis introductae, vis obligatoria servatur donec aliae leges atque juris placita quae legis vicem sustinent, promulgata sint.

Ex hocce principio derivatur praeceptum articuli 1ⁱ, ubi omnes omnis ordinis magistratus in suis officiis exercendis permanere dicuntur usquedum ex legibus, secundum novam legem fundamentalem ferendis, sive ex ipsâ illâ lege novâ, excipiuntur. Eadem praecepta jam habebat articulus 2 legis veteris.

Multa scilicet ex lege veteri fundamentali (uti infra videbimus) exstant, quae contraria sunt novae legis placitis. In permultis id quod in ipsâ lege veteri erat ordinatum, per novam legem fundamentalem specialibus legibus est ordinandum. Quaestio igitur est, eaque gravissima, num jure nonnulla exstare possint post novam legem promulgatam, quae ipsi legi contraria sunt. Huic quaestioni respondent articuli 3 et 1. Ex hisce articulis, ea quae exstant, provisoriam vim retinent, licet contraria sint ipsius legis fundamentalis praeceptis.

In Cameris Ordinum Generalium, tempore revisionis anni 1848, multa dubia, praecipue contra articulum 3 add., mota fuerunt. Nonnulli scilicet contenderunt, novâ lege promulgatâ, sponte abrogari ea quae ipsi legi novae essent contraria, sive in ipsa veteri lege essent recepta, sive in legibus, decretis, caeteris placitis, in veteri lege memoratis; legem

fundamentalem enim esse summum praeceptum, quocum nihil constare possit, quod ipsi adversatur. Provocabant ad sententias Curiae Cassationis Francicae et Supremae Curiae Nederlandicae, ex quibus nulla vetus lex valet, quae contraria est legi fundamentali, quae viget (1).

Contrariam sententiam tuebatur major pars delegatorum atque Summum Imperium. Ex eorum sententia omnes leges, decreta aliaque placita, quae vim obligatoriam habent tempore quo promulgatur lex nova fundamentalis, vim retinere debent usque ad illud temporis momentum, quo per novas leges, eaque juris placita quae legis vicem obtinent, specialiter et ex novâ lege fundamentali ferenda, abrogata sunt. Contenderunt porro, articulum 3 add. non tantummodo spectare leges atque placita in lege veteri fundamentali memorata, sed etiam ipsius legis veteris placita.

Haecce interpretatio articuli 3 add. praeferenda jam videretur propter rationem, quae constituendo articulo locum dedit; ne scilicet permulta in civitate exstarent sine ullâ regulâ, et gravissima incommoda inde essent oritura (2).

Nec obstant huic interpretationi dubia memorata, quaeque in Cameris fuere proposita. Vis enim, quae novis placitis, in novâ lege fundamentali obviis, tribuitur, ut iis vetera placita, veteribus legibus inserta, abrogentur, quod ad novae legis fundamentalis placita, de quibus hic quaeritur, haud urgenda est. Non enim, uti in aliis plerisque legibus obtinet, legis novae fundamentalis placita, quae arti-

1) Vid. oratio in Camera I Ord. Gen. habita a cons. VAN RAPPARD, quam exposuit pater meus optimus VOORDUIN, *Gesch. en Begins. der Grondwet*, ad art. 3, add., V. p. 526 seqq.

2) VOORDUIN, l. l. p. 531 et 532. »Waartoe dan het artikel? (inquit cl. THORBECKE de art. 2, add. legis fund. anni 1840) »dewijl zonder zoodanige uitdrukkelijke toelating geene autoriteit en geene wet kon werken, »tenzij in gevolge van de Grondwet ingesteld." *Aanteekening op de Grondwet*. Ed. 2a. Amst. 1841. 1843. II. p. 321.

culo 3 add. significantur, statim jam plenam vim exserere possunt; lege ordinatoriâ adhuc opus est, ut ea placita exsequi possimus. In eo differunt a ceteris legibus; atque ita ratio, ex quâ sententiae allatae necessario sequi deberent, ipsius regulae usum hic non postulare videtur.

Hisce argumentis addi posset, jam articulum 3 add. revera in lege Fundamentali adesse, cum articuli addendi in capite XII collocati sint, adeoque ipsi legis fundamentalis corpori jam inserti fuerint. Quo factum, ut omnia illa placita hodie reapse *in lege illâ* exstent, et vim obligatoriam habeant *ex ipsâ lege* quâ nituntur. Articuli 3 et 1 add. legis fund. novae revera agunt de eo, quod post novam legem illam promulgatam fieri fas est. De transitione ipsa a lege veteri ad legem novam, non agunt; *lex transitoria* proprie sic dicta, igitur articuli 3 et 1 non sunt habendi. In iis tantum statuitur circa temporis momentum, per quod veteres leges, atque placita etiamnum post novam legem fundamentalem promulgatam vigeant. De vi atque efficacia harum legum, horumque placitorum, nihil. Quaestiones vere sic dictae *transitoriae* in hisce articulis igitur non dirimuntur, sed ad temporis momentum, diversum a tempore promulgationis novae legis, differuntur.

Restrigitur tamen applicatio articuli 3 add. per ordinationem provisoriam de electionibus (Voorloopig Kiesreglement), in articulo 7 add. una cum lege fundamentali promulgatam. Continet cessationem, quae ipso jure obtineat, utriusque Camerae Ordd. Gen. ex articulo 1, et adeo denegat articulis 81 et 82 veteris legis effectum, quem haberent ex articulo 3 add. Per illam ordinationem, usque ad novam legem specialem de electione ad Ordines Generales ferendam, electio delegatorum in utrâque Camerâ faciendâ est secundum praecepta in eâ obvia. Summo jure in primis electionibus adhibita fuit provisorio illa lex.

Pariter, per articulum 1 in fine add. in lege fundamentali anni 1815, primae nominationes a solo Rege factae sunt ex speciali Ipsi in hoc articulo mandata potestate (1).

Quaesitum fuit tamen, num electiones sequentes ante legem specialem faciendae, etiam secundum illud placitum sint peragendae. Mens legislatoris nullum dubium hac in re reliquit. Scopus unicus hujus legis fuit, ut per intermedium illud temporis spatium inter novae legis promulgationem et temporis momentum, quo nova lex specialis de electione ferreretur, socii utriusque Camerae nominarentur speciali illo modo, qualis in lege provisoriâ describitur. Derogationem igitur continet ea non tantum articulorum 81 et 82 legis fund. veteris, sed etiam temporalem quandam moram injicit articulo 78 novae legis fund. Ratio ad provisoriam illam legem ferendam haec fuit, quod, ex sententia legislatoris, Camerae Ordinum Generalium, quales constitutae erant ex legis veteris praeceptis, quorum socii vel a solo Rege vel ab Ordinibus Provincialibus fuerant electi, minus idoneae habebantur ad ferenda suffragia de illis legibus ad rempublicam ordinandam pertinentibus, quae in novâ lege fundamentali etiamnum requirebantur (2).

1) VOORDUIN, l. l. ad *Voorl. Kiesr.* aant. II. p. 546, V. p. 548 et 549, aant. VI. p. 549. Cf. ad art. 1. *Voorl. Kiesr.* aant. V. p. 553.

Eodem fundamento nitebatur quod proposuit in Camera Secunda ampliss. NEDERMAYER VAN ROSENTHAL, quum omnes in lege fundamentali mutationes novis Cameris mandare volebat, atque tantummodo art. 81 legis fund. veteris excipere per ordinationem provisoriam memoratam. Vid. VOORDUIN, l. l. Inl. p. XXIX.

2) VOORDUIN, l. l. ad *Voorl. Kiesr.* aant. I. p. 545 et V. p. 548.

CAPUT II. DOCTRINAE JURISCONSULTORUM IN
LOCO DE LEGE NOVA AD PRAETERI-
TUM NON REVOCANDA.

§ 8. Permulti Jurisconsulti de hocce juris loco egerunt. Non omnium tamen ratio habenda est. Alii scilicet quaestiones quasdam speciales tractarunt (1); alii magis spectarunt jus constituendum (2).

In nostro autem specimine operam dabimus, ut systema aliquod inveniamus, quo contineantur principia summa, ex quibus variae quaestiones quae in nostro jure publico sese offerunt, possint dirimi. Mittimus igitur specialiora illa, uti et argumenta de lege constituendâ. De solo jure constituto agendum est (3).

1) Inprimis antiquiores Icti id egerunt, uti supra monuimus (p. 5, nota 2). Inter recentiores tamen, qui speciales quaestiones tractaverunt, nominandi: HIDDINGA, *Diss. Jur. Inaug. de vi leges novae in ultimas voluntates, ante conditas, postea morte confirmatas*. Tr. ad Rh. 1818. — KIEN, *Diss. Jur. Inaug. de vi legis novae, in jura quae conjuges ratione bonorum habent*. — Tr. ad Rh. 1825. — VAN DER SANDE, *Diss. Jur. Inaug. continens quaedam ad legem transitoriam*. Dordr. 1830. — VAN DE POLL, *Disp. Jur. de vi legis novae in criminum antea commissorum poenis*. Amst. 1834. — VERHOEFF, in opere *Regtsgeleerd Bijblad*. III. 1841, p. 1 sqq., multique alii.

2) Jus constituendum transitorium inprimis illustravit BLONDEAU, *Essai sur l'effet rétroactif des Lois*. Paris 1809, apud SIREY, *Recueil* IX. II. p. 278 seqq.

3) Inter eos Ictos, qui speciales tractaverunt quaestiones, hic non du-
cendos esse putamus, qui, uti Ictus CHAROT DE L'ALLIER, aliique, speciales
quidem tractaverunt quaestiones, verum etiam in iis doctrinam universa-
lem applicarunt. Multi praeterea Icti, regulas simul dederunt de jure con-
stituendo uti et de jure constituto. Quum autem plurimi, uti BERGMANN

Qui de jure constituto scripserunt, ad duas classes sunt referendi (1). Alii scilicet philosophati sunt de jure constituto, et quaestiones de lege novâ ad praeteritum non revocandâ, dirimunt ratiocinando de vi legis universe, parum autem attenderunt legem scriptam (2). Alii magis attenderunt legum scriptam, et ex eâ summa quaedam principia hauserunt, secundum quae casus in ipsâ lege nominatim non expressi, dirimerentur atque constituerentur. Verum sensum legis scriptae indagare studuerunt (3).

De iis, quos posteriori loco memoravimus, praecipue agimus. Voluntas enim legislatoris suprema nobis lex. Sola lex unicus fons decidendi (4). Ratiocinia quae aliquid constituere conantur, quod aut supra aut contra aut juxta legem scriptam esset, vituperanda (5).

§ 9. Longum foret, omnes Jurisconsultorum doctrinas de nostro argumento recensere; nec valde prodesset, quum multi

alique, separatim de utroque jure loquantur, horum Ictorum doctrinas de jure constituendo mittimus; loci vero, ubi de jure constituto agunt, referendi sunt.

1) VON STRUVE, l. l. § 1, p. 3.

2) Inprimis Icti Germani tali philosophico ratiocinio usi sunt. Refutavit eos BERGMANN, l. l. § 1, p. 4.

3) In eo magis praecelluerunt Icti Franciei. Eos vero nimis specialia attendisse, ut ex iis generalia peterent, docet HUIDEKOPER, *Verhandeling over de niet terugwerkende kracht van nieuwe wetten*, in opere *Bijdragen tot rechtsgeleerdheid en wetgeving, verzameld en uitgegeven door Mr. C. A. DEN TEX en Mr. J. VAN HALL*. 1826, N^o. 2, Deel I, p. 163. — Cf. SIREY, *Recueil*, IX. 2, p. 277. — VON REHBURG, *Ueber den Code Nap. und dessen Einführung in Deutschland*, p. 33.

4) Pr. Inst. de officio Judicis. Vid. DEN TEX, *Encycl. jurisprudentiae*. Amst. 1839. § 532. Hocce praeceptum quoque in jure patrio nostro praescriptum fuisse ostendit B. A. VAN HOUTEN, *Diss. de Judicibus Hollandis*. Lugd. Bat. 1793. P. 2, c. 2.

5) HUIDEKOPER, l. l. p. 166, 167.

scriptores, uti BERGMANN et VON STRUVE (1), amplos doctrinarum catalogos exhibentes, simul eas aut laudarunt aut refutarunt. Nonnullos tamen Jurisconsultos nominabimus, eosque qui merito in hocce campo coryphaei sunt habendi. Ipsorum doctrinas ita breviter exponere studebimus, ut vera ipsorum principia pateant, et ideo tandem illud principium exponatur, quod nobis verum videtur.

Doctrinae Jurisconsultorum in eo quidem conveniunt, ut novae legi vis retrograda non sit tribuenda. Dissentiunt tamen in eo, quid dicendum sit *vis retrograda*, et in quaestione, *quousque illa vis sit producenda*.

Ad tres classes doctrinae Jurisconsultorum primario sunt referendae.

Prima classis attendit ad *jura quaesita* quae dicuntur, ut quaestio dirimatur, quatenam lex, vetus aut nova, sit applicanda.

Secunda classis magis respicit *naturam legis*, *ipsiusque ambitum temporalem*, ut exinde definiatur veteris et novae legis imperium. Verbo: prior classis respicit *objectum legis*, altera *imperium legis*.

Tertia denique classis, eclecticâ quâdam ratione, ea quae in duabus jam memoratis classibus inveniuntur, conjungit; et adeo simul *naturam*, *objectum* atque *imperium legis* attendit. Jam quaedam de singulis videamus.

Monendum tamen videtur, tantum eos doctrinarum locos esse memorandos, in quibus exponitur, quid dicendum, ubi legislator vim retrogradam legi nominatim non tribuit (2). Quum enim legislator, certas ab causas, vim retrogradam legi dederit, omnes Jurisconsulti in eo conveniunt, legem ad praeterita quoque esse trahendam.

1) BERGMANN, l. l. p. XXI seqq. — VON STRUVE, l. l. § 33—44, p. 168 seqq.

2) Cf. HUIDEKOPER, l. l. 167.

I. Ad primam classem primario referendi sunt CHABOT DE L'ALLIER (1), MERLIN (2), MEYER (3) alique (4). Ipsorum doctrina universe eo tendit, ut nova lex applicari non possit ad ea negotia, quae, sub veteri lege constituta, dici possunt *jura quaesita*. Plurimi eorum Jurisconsultorum legi novae vim retrogradam tribui statuerunt, simulac jura quaesita laeduntur; verbo: *jura quaesita auferri, et legi vim retrogradam tribui*, unum idemque esse censuerunt (5).

Observarunt viri docti, hosce Jurisconsultos sibi non constare, ubi quaeritur, quid dicendum sit *jus quaesitum* (6);

1) *Questions transitoires sur le Code Nap., relatives à son autorité sur les actes et les droits antérieurs à sa promulgation*. Paris 1809.

2) *Maxime Répertoire universel et raisonné de Jurisprudence*. Paris 1824. Tom. XVI voce *effet rétroactif*. Quia multa inveniuntur in Icti MERLIN doctrina, quae unice legislatorem spectant (vid. HUIDEKOPER, l. 1. p. 168), ejus doctrina facile cuiquam hic minoris esse pretii apparere posset. Quum vero auctor, uti ex multis locis patet (cf. inter alia l. 1. Tom. XVI, p. 226—228 et p. 259), promiscue per totum repertorium agat de legislatoris ac de iudicis parte, doctrina illa hic jure referenda videtur.

3) *Principes sur les questions transitoires*. Amst. 1813.

4) Jurium quacsitorum doctrinae defensores insuper exstiterunt. PFEIFFER, *Ueber die Anwendung eines neuen Gesetzbuchs auf früher begründete Rechtsverhältnisse*. (Zeitschr. Germania, von GROME und JAUP. Jahrg. 1810, B. III, S. 411 seqq.). — VON HERRESTORF, *Ueber die zurückwirkende Kraft der Gesetze*. Duss. 1812. (Cf. BERGMANN, in voce p. XXIII). — ZACHARIAE, *Handbuch des Französischen Civilrechts*. Heid. 1811. — BORST, *Ueber die Anwendung neuer Gesetze auf früher entstandene Rechtsverhältnisse*. Bamb. 1814. — VON REHBERG, *Ueber den Cod. Nap. und dessen Einführung in Deutschl.* Hann. 1814. — MAILHER DE CHASSAT, *Traité de la rétroactivité des Lois*. Paris 1845. — De plurimis eorum doctrinis cf. VON STRUVE, l. 1. § 36, 43, 38, 42. — Quod ad jus criminale, eam doctrinam applicat AEGG, *Ueber das Verhältniss neuer Gesetze zu früher vorgenommene Handlungen im Criminalrechte*, in *Neues Archiv des Criminalrechts*. Halle 1833. B. 13, H. IV, p. 468 seq.

5) Vidd. CHABOT DE L'ALLIER, l. 1. voce *droits acquis*, vol. II. p. 88; MERLIN, l. 1. Tom. XVI, 220.

6) Ex definitionibus, quas de iuribus quaesitis ediderunt, non mul-

ideoque hanc doctrinam esse rejiciendam, quippe quae subinde ejusdem generis quaestionibus varias decisiones praeberet (1). Altera observatio est, quod revera dantur leges, quae jura quaesita adimunt, et quarum applicatione tamen lex nova non spectat praeteritum, sed futurum; — et contra, adesse leges, quae jura quaesita intacta servant, et tamen ad praeteritum applicantur (2).

II. Doctrinae jurium quaesitorum imprimis adversantur, atque prorsus diversas ab eâ regulas ediderunt WEBER (3) et

tum discimus. Saepe etenim longe alia definire videntur, quam quae cum vocabuli significatione convenire putemus. (Vid. VON STRUVE, l. l. § 31, p. 162 seqq.). Ubi vero ipsa quaedam jura quaesita nominatim designant, aperte Ictorum dissensus de iis apparet. Sic Ictus CHABOT DE L'ALLIER jura quaesita etiam habet, quae una cum lege evanescent, et in eo ab omnibus ceteris descrepat. Sic ceteri scriptores, qui jura quaesita agnoverunt, factum hominis requirunt, quo quis ea jura sibi accommodaverit; verum non consentiunt, quando factum illud adsit. Sic Ictus MEYER potius jura quaesita habet ea, quae quis nancisci voluit, dum Ictus MERLIN contra quoque agnoscit jura quaesita, quae lex sponte tribuit. Vid. HUIDEKOPER, l. l. p. 170.

1) Vide inter alias quaestiones, eas quae exposuerunt Icti de Senatus-Consulto Vellejano, de rescissione ob laesionem enormem, et.

2) Ictus VAN DER SANDE, in *Diss. laud.* (ann. ad art. 1) talium legum exempla habet in Decreto Regis, quo praemium promissum fuit pro navibus maritimis in patria aedificatis: uti et in lege, qua toparchis jurisdictio ablata fuit. Ictus HUIDEKOPER exempla praebet ex legibus Francisci diei 9 Aug. 1789 et 17 Julii 1793; quarum prior fingebat contractum de dominio feudali initum fuisse modo, eâ ipsâ lege praescripto; juraque ergo dominis feudalibus tribuit, ex ea lege profluentia. Altera lex vero omnia jura feudalia, sine ulla compensatione iis abstulit, l. l. p. 172. Cf. p. 168. BERGMANN principium hujus doctrinae, uti ab his Ictis est expositum, vocat »Willkührliche Gründe." Vid. l. l. voce WEBER, p. XXII.

3) *Ueber die Rückanwendung positiver Gesetze.* Hann. 1811. Causa primaria cur WEBER jurium quaesitorum doctrinam rejecerit, ex GEORGII sententia est, quod minus rectam eorum notionem habuerit (vid. *Archiv für die Civ. Praxis.* Heid. 1822. B. III. 2^o H. p. 151). Cf. WEBER, l. l. n^o. 16, 21.

BERGMANN (1). Utriusque tamen doctrina in multis capitibus longe differt (2).

WEBER distinctionem posuit: per rerum naturam, inquit (im materiellen Verstande), lex nova nullo pacto ad praeterita trahi potest; fictione tamen (im formlichen Verstande) id obtinere posse perhibet; scilicet, quum lex nova ita applicetur ad negotia obvia, ac si legis novae placita ante ipsius promulgationem jam exstitissent (3).

Lex nova, secundum hunc auctorem, igitur applicanda est ad negotia praeterita, uti et ad ea quae ipsorum occasione oriuntur, si modo quaestionis objectum natum sit post novae legis promulgationem. Hisce in casibus novam legem non ad praeteritum revocatam censet (4). Verbo: lex nova tunc non ad praeterita est applicanda, si per hancce applicationem facta infecta redderentur.

Contra hancce doctrinam observarunt alii: principium quidem verum est, id tamen indistincte non valet, nam universe jus ipsum cum ipsius exercitio tam arcto et insolubili vinculo est conjunctum, ut jus sine facultate illud exercendi nihil valeat. Jus cum ipsius effectu unum est

1) *Das Verbot der rückwirkenden Kraft neuer Gesetze im Privat-Rechte.*

2) Jurium quaesitorum doctrinae adversarios praeterea se duxerunt DABELOW, *Materialien für den Code Nap.* Jahrg. 1810. Bd. 1, S. 276 seq. — SPANGENBERG, *Commentar über den Cod. Nap.* Gött. 1810. — RUTHART, *Controversen im Code Nap.* Würzburg 1813. (Cf. BERGMANN, l. l. in voce p. XXIII et p. 243, nota 262). — BAUER, *Ueber die Grenzen der Anwendbarkeit des Cod. Nap.* Gött. 1824. — HUIDEKOPER, *Verh. over de niet terugwerkende kracht van nieuwe Wetten. Bijdr. tot Regtsq. en Wetq.* 1826, n^o. 2, p. 161 seqq. — VON STRUVE, *Ueber das positive Rechtsgesetz rücksichtlich seiner Ausdehnung in der Zeit.* Gött. 1831. — SMITS VERBURG, *Spec. Jur. In. de lege ad praeteritum non revocanda.* Lugd. Bat. 1833. Plurimas doctrinas hic memoratas recensuit VON STRUVE, § 33, 35, 40, 41.

3) l. l. inpr. n^os. 23, 24, 25 et 26.

4) l. l. n^os. 38. Cf. n^os. 22, 23.

atque idem; alterum sine altero cogitari vix potest; ad nihilum doctrina WEBERI in praxi reducitur. Ipse auctor hujus vitii sibi conscius fuit, et ideo tot regulas secundarias, tot exceptiones a regulâ generali posuit, ut secundum ipsius auctoris sententiam regula ipsa evanescat. Observat primario hoc VON STRUVE (1), qui ideo ratas habet sequelas ex negotiis sub veteri lege peractis, quae sub novâ lege perdurant (2).

Ulterius quam WEBER progressus est BERGMANN (3). Statuit, omnia quae sub lege veteri sunt peracta, sed sub lege novâ ad effectum sunt perducenda, tunc demum subsistere posse, si nova lex, ex stricto ipsius sensu, illud permittat. Legi novae autem tam illimitatam tribuit vim, ut secundum eam definiretur, num ea ipsa quae sub veteri lege legitime essent constituta, immo et prorsus absoluta, vim habere possint necne (4). Quae igitur novâ lege sunt prohibita, licet jura nata sint sub veteri lege, sub novâ lege non sunt exercenda (5). Summum scilicet principium posuit BERGMANN: civibus in civitate degentibus id quod lex jubet, vetat, permittit, suprema est veritas (6). Ex ipsius

1) Vid. VON STRUVE, l. l. § 37, p. 187, nota a.

2) Cum autem Ictus VON STRUVE hasce sequelas facti ejusdam positi (rechtliche Folgen factischer Voraussetzungen) dividerit ita, ut quaedam, ex facto hominis ortae, nova lege non essent tollendae, quaedam, sine facto hominis nascentes, una cum lege caderent, — cum sequelas illas ipse auctor *jura* nominaverit, nomine *sequelarum* eadem intellexisse videtur, quae alii scriptores *jura quaesita* habent (vid. l. l. p. 15 coll., nota a, p. 16); invitâ Minervâ, eorum doctrinam sic defensisse dici posset (vid. l. l. p. 19, 20, 21 etc.).

3) Cf. HUIDEKOPER, l. l. p. 174.

4) Vid. inpr. § 4, p. 12—14, 18 et 19, ubi auctor conatus est ostendere, neque in eo casu legem novam injusto modo applicatam esse. (*Widerrichtliche Anwendung neuer Gesetze*).

5) Op. l. § 4, p. 13.

6) Op. l. § 8, p. 54.

legis naturâ ergo civibus summum est juris principium, ut omne quod in praesenti tempore occurrit, dijudicetur secundum legem, quae in praesenti tempore viget (1).

Facile observarunt alii, hâcce doctrinâ omnia in civitate ante acta penitus everti (2).

III. Hactenus egimus de doctrinis Jurisconsultorum, qui respexerunt sive *jura quaesita*, sive *ambitum legis*. Vidi-mus, eos peccasse in eo, quod fere exclusive unum alterumve ante oculos habuerint, et ita non viderint nexum, qui inter unum alterumve intercedit.

GEORGII (3) primario *eclectice* ratiocinatur: non neglexit jura quaesita nec ambitum legis (4). Utriusque naturam arctis iisque veris finibus circumscripsit.

Legi, inquit, inde ab ipsius promulgatione, omnimodo vis tribuenda est. Duobus tamen modis hujus regulae applicatio est restringenda:

Primo: *physicâ ratione*, quum scilicet lex nova applicaretur ad negotia, quae ante ipsius legis novae promulgationem jam prorsus absoluta sunt. Facta enim infecta reddi non possunt. Nullo modo ita lex applicari potest, ac si ante ipsius promulgationem jam exstisset.

1) Ideo in § 13, p. 67 docet auctor, nullam amplius restare difficultatem de novâ vel veteri lege applicandâ, si tantum attendatur tempus quo novae leges sint promulgatae, ut inde ab eo in quibuslibet negotiis illimitatam vim exercent.

2) Vid. VON STRUVE, l. l. § 44, p. 227.

3) *Beitrag zur Lehre von der Rückamwendung neuer Gesetze, mit besonderer Rücksicht auf einige von WEBER deshalb aufgestellte Grundsätze*. In opere: *Archiv für die Civilistische Praxis*. Heidelb. 1822. B. III. 2^o H., p. 145 seqq.

4) Alii quoque Icti tali modo in doctrinis componendis versati sunt, uti VON HERRESTORF, BAUER alique. Quum vero quisque eorum magis minusve ad unam alteramve classem proclivis videretur, eos supra jam memoravimus.

Secundo: *juridicâ ratione*, quum impedimentum adest, quominus lex nova sponte applicetur ad negotia, quae, licet sub novae legis imperio occurrant, et in quibus igitur physica ratio non obstat, tamen novae legis imperio non sunt submittenda (1).

Impedimentum istud, quod ex juridicâ ratione petit auctor, oritur ex tutelâ jurium quaesitorum, quae, ex permultorum Jurisconsultorum opinione, est supremus ipsius Civitatis finis. Subditi enim habent jus, ut ipsorum jura rite acquisita intacta serventur (2). Ipsorum ambitu circumscribitur potestas legislatoris atque judicis, verbo: potestas Summi Imperantis. Facta futura igitur, simulac cum juribus jam acquisitis unum idemque sunt, nomine *juris acquisiti*, ex lege sub qua jura acquisita sunt, dijudicanda sunt a judice, — intacta servanda a legislatore.

Jura quaesita secundum auctorem duplex habent fundamentum, scilicet et in *voluntate legis*, et in *facto hominis*. Lex igitur sub qua jura acquisita nata esse dicuntur, istorum jurium acquisitionem permittere debet, sed insuper necesse est, ut accedat factum hominis, i. e. declaratio voluntatis per factum aliquod externum emissa, qua, lege id permittente, jus istud veluti occupatur (3). Utrumque, et

1) Idem, uti supra in hacce §, p. 19 et 20 jam vidimus, quoque statuit WEBER, quod docet auctor ex ratione physicâ. Quia vero unicam eam agnovit, alteram sive juridicam rationem ratam non habuit, WEBERUM sibi conscius fuisse, doctrinam suam non sufficere, et ipsum hac in re sibi ipsi adversatum fuisse, ostendit GEORGI, l. l. § 6, p. 149 seqq.

2) Negat hoc BERGMANN, l. l. § 8, p. 53, 54, propter illimitatam vim, quam, uti jam vidimus supra, p. 20, legislatoris voluntati tribuit. — Cives autem illud jus habere, ostendit HUIDEKOPER ex notione legis atque legislatoris. l. l. p. 176. 177.

3) Ita MAILHER DE CHASSAT, »... dès que l'individu a fait usage de » la concession de la loi, dès que l'acte ou le fait qu'elle détermine » pour la formation d'un droit, a été accompli dans les conditions ri-

ortus juris et ipsius *occupatio*, consentaneum esse debet legi quae tum viget.

Huic consequens est, ut utrumque dijudicetur ex lege, quâ vigente utrumque obtinuit; nova lex, alia praecipiens, ad ea negotia non est applicanda. Illustravit auctor doctrinam suam, jurium quaesitorum tres classes referens, scilicet: — *jura personalia* (Personen-Rechte), quae per legem veterem nancisci licuit, et quae, accedente facto hominis, revera acquisita sunt (1); — *jura in re* (dingliche Rechte), quae in dominium nostrum migrata sunt titulo justo, facto occupationis vel traditionis accedente (2); — *jura ad rem* (Obligationen-rechte), ubi, lege id permittente, duae partes in idem placitum consenserunt (3).

Verbo: omnia ea quae ex lege et facto hominis in dominio sunt, *jura acquisita* sunt habenda.

Quod ad effectus atque sequelas actuum attinet, quae occurrunt sub lege novâ, ea secundum legem veterem sunt dijudicanda, dummodo fundamentum habent in ipso jure acquisito. Nam una cum jure ipso natum est jus ad omnia ea, quae ex hocce jure *directe* profluunt.

»goureuses tracées pour son existence, en telle sorte, que la translation de ce droit ait dû nécessairement s'ensuivre, la loi a perdu toute action sur ce fait, et ce ne serait qu'en blessant des droits acquis, qu'elle rétroagirait." I. I. T. I. pag. 185, no. 5.

1) »Est ist nun... in dem Gebiete des Personen-Rechts jenes Erwerbsmittel die Handlung, welche das Gesetz für geeignet erklärt, einen gewissen Zustand (status) zu erzeugen, aus welchem die Zustandsrechte der Person entspringen." I. I. § 11, p. 161.

2) »Immer" ita pergit auctor »aber musz wenigstens eine Handlung vorgehen, wodurch das ein Recht erwerben wollende Subject die Erlaubnisz des Gesetzes sich aneignet." I. I. § 11, p. 163.

3) »In dem Obligationenrecht ist es durchaus der Fall, dasz mit einer einzigen Rechtshandlung (dem Contract, Quasi-Contract, Delict, »Quasi-delict) das Recht erworben wird." I. I. § 11, p. 163.

Jus enim in toto ipsius ambitu, natum est atque acquisitum (1).

Ab hisce juribus quaesitis distinguit auctor jura, quae dicit *mere legalia* (rein gesetzliche Rechte).

Ea non habent fundamentum *duplex*, sed *unicum*, — *in lege*, nullo intercedente facto hominis. — Simulatque igitur lex quae hisce juribus fundamentum praebuit, abrogata est, jura ipsa evanescent. Ex mandatâ ipsi potestate legislator potest creare aut evertere jura, quae a solâ lege pendent (2). Cum ipsâ lege igitur eorum jurium effectus cessant. De occupatione eorum jurium per factum hominis, in hisce sermo non est. Non licet civibus istiusmodi legibus derogare; igitur ipsis non data est facultas ea, ex merâ suâ voluntate, comparare. Verbo: haecce jura non sunt in dominio civium, sed tantum in dominio legislatoris.

Doctrina GEORGII ceteris doctrinis, de quibus vidimus, praeferenda videtur. Ea non premitur difficultatibus, quae in applicatione aliarum doctrinarum permultae occurrunt. Fundamentum habet in lege scriptâ, et quidem in praeepto illo: *leges spectare tantum futura* (3).

Praeterea auctor sibi ipse constat in doctrinâ suâ enucleandâ, quod de ceteris dici non posset; non enim, uti CHABOT DE L'ALLIER aliique, a specialibus ad generaliora procedit, sed generalia principia ponit circa jurium acquisitorum naturam atque originem, ad speciales quaestiones

1) Plura de hac re scripsit auctor, l. 1. § 12, p. 165 seq.

2) Cf. MAILLER DE CHASSAT, l. 1. I. p. 135, n^o. 1, p. 150, n^o. 5. p. 180 n^o. 5.

3) Doctrinam jurium quaesitorum nempe ita purgavit vitis, quae ei ex aliorum opinione inerant (vid. supra p. 15 et nota 2 ibid.; p. 17 et nota 5 ibid.; p. 18 et nota 2 ibid.; p. 19 et 20).

applicanda. Dubium ergo ex auctoris doctrinâ, hocce vitio vitato, oriri non potest circa quaestionem, an jus aliquod *acquisitum* sit habendum necne.

Supra jam monuimus, attendendam esse quaestionem circa voluntatem legislatoris, specialiter ubi nominatim aut *expressis verbis* non loquitur, aut jura quaedam designata non ipsis verbis aufert, atque igitur dubium adesse potest, num legislator ipse vim retrogradam legi suae tribuere voluerit. Si expresse loquitur legislator, GEORGII cum aliis assentitur, sine dubio legi vim retrogradam esse tribuendam. Legislator tamen hanc facultatem habet non illimitatam; non solum leviora civitatis commoda ($\tau\omicron$ melius esse), verum summam eamque imminentem utilitatem ($\tau\omicron$ esse) ante oculos habeat (1).

§ 10. Doctrinae autem de quibus vidimus, omnes circa jus civile sunt editae. In quibusdam quidem locis quaestiones ex jure publico attingunt nonnulli auctores, uti MAILHER DE CHASSAT; eorum doctrinae tamen ideo circa jus publicum versari, haud dici possunt (2). Quaestiones enim sunt raras, et sic quaestio dirempta non videtur, num illae doctrinae in universum ad jus publicam adhiberi possint. Speciatim praeterea inquirendum est, num doctrina Icti GEORGII, ipsius naturae causâ, juri publico non adversetur.

Attendenda sunt argumenta eorum, qui jus transitorium, prouti hactenus constitutum est atque excultum, circa ea quae sunt juris civilis, negant applicari posse ad jus pu-

1) Vid. l. I. § 16, p. 173 seqq.

2) Sensus enim quo accepit Ictus MAILHER DE CHASSAT (vid. inter alia, quae docet auctor in op. l. I. p. 179, 292, 293) jus publicum, longe differt a jure publico, de quo in dissertatione agimus; ei nempe adnumerat auctor jura civilia, quae simul spectant ordinem publicum, et simul civibus acquisita dici possint, ut jura feudalia, alia.

blicum. Sic observari posset, auctorem ex principiis suis regulas deduxisse, quae unice ad jus civile adaptari possent. Ita, cum modum descripserit quo jura quaedam in dominium suum aliquis redigeret, auctorem unice spectasse jura civilia, acquirenda ex principiis juris civilis, — jura politica contra, secundum articulum 1 Codicis Civilis Nederlandici, alio prorsus modo, et quidem in lege fundamentali nostrâ praescripto, acquiri posse. Regulas ergo quas exposuit auctor, in lege civili fundamentum habere, numquam ad jura politica applicandas, quippe alius generis, alius originis.

Ad hasce observationes attendendum est, auctorem generaliter esse locutum: — universe, secundum ipsius doctrinam, factum per quod jus aliquod acquiritur, legi debet esse consentaneum.

Generale illud effatum aequè valet de acquirendo jure civili atque de acquirendo jure politico, modo factum illud ratione *juris civilis* adaequetur *legi civili*, — ratione *juris politici*, *legi fundamentali* (1).

Nihil enim refert, quo modo factum illud praestetur,

1) Ita MAILHER DE CHASSAT: »...les citoyens," inquit, »ne pourront »se prévaloir de droits acquis en vertu de ces lois (constitutionnelles, »émanation plus directe du principe politique), que lorsqu'ils auront »été appelés à les exercer sous l'empire du principe même dont elles »découlent, et il n'y aura de rétroactivité à leur préjudice par l'émission des lois nouvelles, que tout autant que ces lois porteront atteinte aux lois précédentes, qui déterminaient les formes et les conditions d'existence de ce principe.

»C'est donc avec toute exactitude, que la Chambre des Députés, »dans sa déclaration du 1^r Août 1830, à la suite de ces mots: — » »que »la tentative de former une autre Chambre des Députés, d'après un » »mode nouveau et arbitraire, — est en contradiction formelle avec la » »Charte Constitutionnelle,"" a ajouté ceux-ci: et les droits acquis des »électeurs." l. l. T. I. p. 197, n^o. 14.

si modo legi in universum sit consentaneum; nihil amplius requiritur. Jam si constat, doctrinam GEORGII ita valere in quaestionibus juris publici, aequè atque in quaestionibus juris civilis, restat ut inquiremus, num fortasse doctrina, in qua de juribus quaesitis agitur, minus idonea sit ut ad jus publicum adhibeatur. Jus publicum (inquiunt) jura tantum spectat *mere legalia*. Ubi ergo de lege fundamentali agitur, qua jus publicum continetur, doctrina circa jura quaesita minoris esse momenti videri possit.

Lubenter fateor, neminem jura politica vere ita dicta, ex principiis juris publici hodierni, in dominium suum redigere posse (1). Tantummodo, vi legis fundamentalis, eorum jurium exercitium concessum est; jura ergo sunt *mere legalia*, quae una cum lege veteri evanescent.

Observandum vero videtur, in lege fundamentali nostrâ non solum de istiusmodi juribus politicis agi; alia etiam jura lex fundamentalis tuetur, in eâ occurrunt etiam jura civium sanctissima, jura quaesita vere ita dicta.

Latius hoc loco de iis agendum non videtur; sequentia in dissertatione, ubi de diversis juribus in lege fundamentali nostra agemus, rem docebunt. Licet igitur lex fundamentalis in universum spectet *jus publicum*, in lege illâ applicandâ tamen locus esse potest de juribus quaesitis, quia in eâ quoque continentur illa jura, quae strictiori sensu *politica, verè ita dicta*, non sunt habenda.

Post hasce observationes revertimur ad doctrinam Icti

1) Vid. *Aanteekening op de Grondwet*, door Mr. J. R. THORBECKE. 2^e Uitg. Amst. 1843. II. p. 117, 118. Ubi de jure toparcharum agit: »Als publiek regt" ita scripsit, »kan het naar de hedendaagsche Staatsbeginselen niet meer bijzonder eigendom, noch in den handel, noch onder bescherming van art. 162 zijn. Het kan dus bij eene staatsregtelijke wetgeving eenvoudig worden vernietigd."

GEORGII. Ea nobis usu venit, quia totum ambitum juri-
um, quae in lege fundamentali tam diversa obveniunt,
omni ipsorum vi et efficacia, tractat, distinctione scilicet
adhibitâ inter *jura acquirenda* et *jura mere legalia*.

Maxime attendendum est, quod auctor habet de duplici
ratione quae obstat, quominus lex nova ad praeteritum tra-
hatur, — rationem dico *physicam* atque *juridicam*.

Praecipue autem observandum est, doctrinam GEORGII ha-
bere fundamentum in supremo civitatis fine — in tutelâ ju-
rium. Sponte inde patet, hancce doctrinam, licet auctor
eam applicaverit ad jus civile, cum jure publico arctissime
cohaerere. Tractat enim jus publicum finem civitatis su-
premum; in eo agitur de remediis atque juribus, quibus
hice finis optime et commode attingatur.

§ 11. Veluti ex edito quodam loco jam conspiciamus cam-
pum quem perlustravimus, et simul viam quam in secunda
Dissertationis parte ingressuri sumus. Regulae jam con-
stituendae sunt ex iis quae hactenus tractavimus: ex le-
gibus transitoriis, et doctrinis Jurisconsultorum qui de jure
transitorio scripserunt.

Duo attendenda sunt, et accurate a se invicem distin-
guenda: vis et efficacia legis fundamentalis veteris, — vis
et efficacia legis fundamentalis novae.

Videndum ergo 1°. *de vi et efficacia veteris legis fun-
damentalis*. Illa, unâ cum legibus caeterisque quae legis
vicem obtinent, juris placitis, quae in eâ ipsâ veteri lege
fundamentum habent, etiam post novam legem fundamen-
talem promulgatam valent atque legitime existunt circa ea
quae sub lege veteri fundamentali legitime exstabant, legi
convenienter sunt peracta, — circa effectus ex hisce directe
profluentes, licet obtineant post legem novam promulgatam.

Agendum 2^o. *de vi et efficacia novae legis fundamentalis*. Nova lex illa atque ea juris placita quae in eâ ipsâ fundamentum habent, valent, inde a promulgatione ipsorum, circa ea omnia quae obtinent post hocce temporis momentum, quatenus ipsorum applicatio non suspenditur 1^o. per jura ante acquisita, quae non expresse adimuntur; 2^o. per leges, caeteraque placita, vigente veteri lege fundamentalis emissa, quae, licet principiis atque placitis novae legis fundamentalis contraria, tamen per articulum 3 add. novae legis fund. etiamnum observanda sunt. Hisce duobus summis principiis omnes quaestiones juris transitorii, ortae per novae legis fundamentalis promulgationem, solvi posse videntur.

Cum lex nostra fundamentalis, uti omnes illae leges univ-erse, diversi generis jura et officia objecta habeat, tribus capitibus de jure transitorio publico nostro agendum videtur.

Principia praedicta applicabimus I. ad ea legis placita, quae spectant regiminis formam atque regni compositionem; II. ad ea, quae spectant jura et officia, ad imperii actus necessaria; III. ad ea, quae spectant jura et officia civium, tam univ-erse quam in specie (1).

Ratione horum objectorum sigillatim ita agemus, ut, exemplis nonnullis allatis, 1^o. instituatur comparatio inter veterem legem fundamentalem atque novam; 2^o. inquiratur, quatenam sit vis *sempiterna* veteris legis fundamentalis, post novam eam legem promulgatam; 3^o. investigetur, quatenam sit vis *intermedia* legum caeterorumque scripti juris fontium, quae sub veteri lege fundamentalis exstiterunt, usquedum per leges quas requirit nova lex fundamentalis, abrogata sunt; 4^o. agatur de *plenâ* vi novae legis fundamentalis, inde a die promulgationis.

1) Cf. G. J. B. DEZIER, l. l. p. 118.

§ 12. Antequam ita de novae legis fundamentalis efficacitate paulo plenius agimus, monenda quaedam videntur.

1°. Legem fundamentalem, prouti nunc sese habet, insertis articulis 11, 12, 16—20, 31, 33, 35—37, 61, 63, 79, 92, 104, 106, 121, 177, 192, 195, 196, 202, 231 legis fund. anni 1815 revisae anno 1840, vocamus *novam legem fundamentalem*. Verum quidem est, leges diei 11 Oct. 1848, S. B. n°. 59—70, promulgatas esse ex publicatione diei 14 Oct. 1848, S. B. n°. 71, et eas leges continere *emendationes speciales* in articulis, qui ibi designantur, — *legem fundamentalem prorsus novam* igitur non fuisse promulgatam; — at emendationes anni 1848 longe alius generis fuerunt, quam emendationes anni 1840; prioribus totum aliquod systema, idque in permultis plane *novum*, continebatur. *Novam legem* igitur praesentem nostram legem fundamentalem vocare, non abs re nobis videbatur.

2°. Secunda observatio spectat *leges speciales*, ex lege fundamentali, prouti nunc sese habet, ferendas. Articuli legis novae, in quibus requiruntur, saepius ex lege veteri sunt desumptae, mutatione quâdam litterarum adhibitâ. At vel sic tamen *novam legem* continere habendi sunt. Nullus articulus in lege fundamentali scilicet per se spectandus est, sed semper ratione habitâ aliorum articulorum, et universe respectu principii, quod lex illa in aliis locis enunciavit. Ita articulus 149 novae legis fund. ordinationem potestatis Judiciariae mandavit *legi speciali*; — articulus 164 legis veteris fund. *legi fundamentali*, et *legi speciali* simul. Pariter ex articulis 180—182 novae legis fund., alia eaque diversa sub novâ lege erit ordinatio, atque sub lege veteri, in iis etiam, quae lex vetus non ipsa ordinaverat.

Leges speciales igitur semper sunt attendendae ratione

habitâ legis fundamentalis, quâ vigente sunt ferendae; una cum ipsâ illâ lege illae leges speciales unum atque universum quasi juris publici corpus faciunt.

3°. Quaesitum fuit de temporis momento, inde a quo lex nova fundamentalis obligatoria esset habenda (1). Alii ex art. 1, § 4 legis provisoriae de electione (Voorloopig Kiesreglement) diem habuerunt, quo promulgata fuit in legum nostrarum publicâ auctoritate constitutâ collectione (Staatsblad), quatenus ea lex continetur diversis legibus ad mutationem legis fundamentalis latis (2), et quidem, ex art. 2, § 3 legis, quâ continentur Juris nostri Dispositiones Generales. Mutationes in lege fundamentali igitur, ex hâcce sententiâ, inde a die 14 Octobris 1848, vim legis haberent.

Alii contra, et uti videtur meliori jure (3), diem quo vim legis obtinuerunt mutationes in lege fundamentali, habuerunt diem 3^{um} Novembris 1848.

Lex scilicet, per art. 2, § 3 citatum, valet inde a die 20° post publicationem in dictâ collectione publicâ, qui, inde a die 14° Oct., est 3^{us} Nov. 1848. Accedit quod sollemnis publicatio, secundum art. 232 veteris legis fund., facienda, ex Publicatione Regis diei 14 Oct., S. B. n° 71, locum habuerit ipso illo die 3° Nov. 1848. Hicce dies igitur habendus est pro die, quo vim obligatoriam mutationes in lege fundamentali nactae sunt.

1) Vid. *Handelsblad van 14 Dec. 1848*, n° 5321. *Weekblad van het Regt*, n° 1003.

2) Cf. VOORDUIN, l. l. ad art. 3, add. IV. p. 533.

3) Vid. *Publicatie van den Gouverneur van Z.-Holland*. (*Weekbl.* n° 971).

PARS ALTERA.

NOVAE LEGIS FUNDAMENTALIS VIS ET EFFICACITAS.

CAPUT I. REGIMINIS FORMA ATQUE REGNI COMPOSITIO.

§ 13. Si attendamus revisionem nostrae legis fundamentalis, quae ante hunc annum et quod excedit, inducta est, primum quod continuo animadvertimus, hoc est, eandem universe imperii constitutionem post renovatam legem fundamentalem mansisse atque eam quae obtinebat post legem fundamentalem anni 1815, in nonnullis suis capitibus immutatam anno 1840. Quod sane nemini mirum videbitur reputanti, non ex legibus fundamentalibus existere quasi alias derepente aliasque respublicas, sed in melius tantum, subinde etiam in pejus, conformari quae ad regendam eam lata est, legem fundamentalem. Profecto non solet in legibus probabiliter scriptis exprimi, nisi quod vel communi civium consensu vel potentium in republica virorum suffragio ut bonum et aequum est comprobatum, et sic flectuntur et emendantur fere in legibus novis quae jam olim obtinuerunt, rarius vero nova prorsus constituuntur. Sic in nostra quoque emendata lege universe distinguitur inter potestatem legislativam et executricem (1). Eadem collegia, quae imperium in civitate

1) Cf. G. K. VAN HOGENDORP, *Bijdragen tot de huishouding van Staat*

constituunt, in lege novâ uti et in lege veteri existunt. Saepius autem observatum fuit, in ipsâ lege fundamentali veteri plurima esse ordinata, quae melius legislatori ordinario mandanda sunt. Huic observationi respondet lex nova. Ita collegia quae jurisdictioni militari et ea quae rei monetali praesunt, non amplius in ipsâ lege fundamentali commemorantur; ita potestas judiciaria per legem specialem ordinanda est, solummodo de Curiâ Supremâ agit ipsa lex nova fundamentalis (1).

Collegia in utrâque lege constituta, atque potestates in Civitate quae universe regiminis ambitum constituunt, habentur Ordines Generales, Ordines Provinciales et Collegia Communalia. Regi in utrâque lege defertur, vel potius Regis in utrâque lege agnoscitur exsecutoria potestas.

Quod ad ea quae universum regnum respiciunt, potestatem legislatariam utraque lex detulit duabus Ordinum Generalium Sectionibus, *Camerae* quae dicuntur, una cum Rege (2). Circa ea quae sunt Provinciarum, potestas legislatoria mandata mansit Ordinibus Provincialibus. Circa rem municipalem, Collegio Communali eadem potestas est delata (3).

Regi mandata mansit potestas exsecutoria universe (4); in quibusdam et Ordinibus Provincialibus (5); in quibusdam et alii magistratus, aliaque collegia Regis nomine hancce

etc. 's Gray. 1818 seqq. VII. p. 78, 129—132, VIII. p. 176 seqq. Vid. THORBECKE, l. l. I. p. 282, 283, coll. 180, 181.

1) Cff. artt. 146 § 2, 175 et art. 149 junctis artt. 157—163 novae legis fund., cum artt. 186, 199 et 164 junctis artt. 173—184 veteris legis fund.

2) Cf. art. 104 novae legis fund. cum art. 106 veteris legis fund.

3) Cff. artt. 131, 140 novae legis fund. cum artt. 144, 153 veteris legis fund. Cff. VAN HOGENDORP, l. l. VIII. p. 300, 325. — THORBECKE, II. 77, 78, 196, 228.

4) Cf. art. 54 novae legis fund. cum artt. 55 seqq. veteris legis fund. Vid. THORBECKE, l. l. I. p. 104 seqq.

5) Cff. artt. 130 et 136 novae legis fund. cum artt. 143 et 151 veteris legis fund.

potestatem exercent. De nonnullis istiusmodi collegiis, uti vidimus, legibus specialibus erit agendum. Regi adsunt Ministri atque Consilium Statûs (Raad van State) (1).

Si quaeramus de modo quo collegia memorata constituuntur, magna intercedit differentia inter leges fundamentales annorum 1815 et 1840, atque legem fundamentalem anni 1848.

Scilicet delegati Camerae Primae in posterum non eliguntur ab Ipso Rege, sed ab Ordinibus Provincialibus (2); — delegati Camerae Secundae non amplius ab Ordinibus Provincialibus, sed directe a civibus (3). Socii Ordinum Provincialium non nominantur in posterum partim a Nobilium Collegiis (Ridderschappen), partim ab Urbibus, partim ab ordine rusticorum, qui dicitur Landelijke stand (4), sed directe a Provinciarum incolis (5); — Collegia communalia non amplius ab electoribus (6), vel a Regis Commissariis (7), sed a civibus ipsis in quâque Communitate (8).

§ 14. Leges et constitutiones futuris certum est dare

1) Cf. artt. 71, 72 et 73 novae legis fund. cum artt. 70, 72, 74—76 veteris legis fund.

2) Cf. art. 78 novae legis fund. cum art. 82 veteris legis fund.

3) Cf. art. 76 novae legis fund. cum art. 81 veteris legis fund. Cf. THORBECKE, l. l. I. p. 211—214.

4) Vid. decretum cui nomen: *Reglement omtrent de zamenstelling der Staten*, diei 30 Maii anni 1825, n°. 98, artt. 11, 15, 16.

5) Cf. art. 123 novae legis fund. cum art. 127 veteris legis fund. — Cf. VAN HOGENDORP, l. l. VIII. p. 290 seqq.; THORBECKE, l. l. II. p. 9 seqq., 19, 20.

6) Vid. Constitutio, quae dicitur: *Reglement voor het bestuur der steden*. *Besl. v. 4 Jan.* 1824, n°. 111, art. 1.

7) Vid. constitutio dicta: *Reglement op het bestuur ten platten lande*, diei 23 Julii a. 1825, n°. 132, art. 11.

8) Cf. art. 139 novae legis fund. cum art. 152 veteris legis fund. — Cf. VAN HOGENDORP, l. l. VIII. pp. 306, 309, 319.

formam negotiis, non ad facta praeterita revocari. Illud principium praeterita salva habet. Intacta igitur manent ea quae ante novam legem promulgatam, secundum veterem legem, legitime sunt constituta. Ceteroquin enim lex nova applicaretur ac si jam ante ipsius promulgationem exstitisset. Ante illud tempus autem nova nostra norma agendi non adfuit.

Regiminis forma atque Regni compositio, quae praecessit novae legis fundamentalis promulgationem, dijudicanda est ex solâ illâ lege, quae ante illud temporis punctum viguit. Quae collegia in civitate secundum legem fundamentalem tunc vigentem exstiterunt, legitime exstabant; si ipsorum socii creati sunt secundum leges de electionibus eo tempore vigentes, legitime collegia illa instituta esse dicuntur. Ita sub lege fund. anni 1814, ex ipsius art. 56, una Camera Ordinum Generalium tantum exstitit. Ita, ex facultate Ipsi mandatâ in art. I add. legis fund. anni 1815, Rex solus primâ vice socios elegit Camerae Secundae Ordinum Generalium, licet ex lege fundamentali ipsâ eligendi essent ab Ordinibus Provincialibus; legitime ergo constituit Camera Secunda hocce modo constituta.

Ea quae, subsecuto tempore, ante legis fundamentalis novae promulgationem, a potestatibus in Civitate legitime sunt peracta, rata manere, ex hisce sponte patet. De eo videndum erit uberius infra, ubi agimus de juribus atque officiis ad imperii actus necessariis. Hocce loco sufficiat indicasse, qualis sit consequentia a bene constituto collegio ad vim obligatoriam legum caeterorumque placitorum, quae a tali collegio sunt emissae. Inde patet, non tantum in studio historiae Juris Publici Nederlandici esse summum oblectamentum et gravissimum adminiculum ad hodiernas constitutiones rite perspicendas, sed etiam magnum commodum exinde profluere in praxi (1). Innumerabiles leges, innume-

1) Vidd. quae pater meus carissimus edidit titulo: *Gedachten over eene*

rabilia decreta aliaque placita cujuscumque tandem aevi, apud nos vim legis obtinent (1). Quanta diversitas circa reipublicae constitutionem, sub quâ illa emissa sunt! Nonnulla ex hisce dicuntur non fuisse consentanea cum constitutione reipublicae illis temporibus vigente (2). Nisi illae subsecutae constitutiones bene perspiciuntur atque cognoscuntur, circa ea quorum notitia necessaria est, ut de legitimâ ipsius legislatoris conditione iudicium admitti possit, in tenebris ambulamus. Si hisce diebus vetus aliquod placitum fundamentum decisionis esse debet, ipsius legitima conditio aequè examini subjicienda est, atque si ageretur de vi obligatoria alicujus legis aut placiti, hisce ipsis diebus emissi (3).

§ 15. Prouti in permultis capitibus, sic et in hoece capite lex nova fundamentalis permulta mandavit legibus specialibus, etiamnunc ferendis. Harum legum futurarum

geschiedkundige beoefening onzer Oud-Vaderlandsche regten, hare hooge waarde en klaarblijkelijk nut, in opere Ned. Jaarb. voor Regtsg. en Wetgeving. VIII. p. 32 sqq. — Decreto diei 5 Febr. 1849, S. B. n.º 5 a Rege Icti L. METMAN, A. DE PINTO et N. OLIVIER nominati fuerunt, ut de veteribus legibus, aliisque placitis cognoscerent, investigarentque quanam vis hodie quoque iis esset tribuenda: operi finem jam attigerunt, atque die 28 Dec. a. 1849 Regi operis relationem obtulerunt. (Weekbl. van het Regt, n.º 1090).

1) Vidd. CSS. FORTUYN, *Verz. van Wetten, Besl. en andere Regtsbronnen van Fr. oorsprong, in zooverre dezelve ook sedert de invoering der nieuwe Wetg. in Nederl. van toepassing zijn.* Amst. 1836. — DÉ MARTINI, *Verzameling van Bijlagen.* Amst. 1840, 1842. — VAN HASSELT, *Verz. van Wetten en Besl., voorkomende in het S. B. van het Kon. der Nederlanden.* — JAN VAN DÉ POLL, *Verz. van Vaderl. Wetten en Besluiten, uitgevaardigd sedert 22 Jan. 1798 tot 10 Julij 1810, etc.* Amst. 1840, alii.

2) Vid. inter plures DÉ MARTINI, 2^e *Verz. van Bijlagen.* Amst. 1842, p. 161.

3) Cf. CONS., WILHELM ALEXANDER CONSTANTINUS DÉ JONGE, ad art. 115 § 2, novae L. F. (de wetten zijn onschendbaar) in opere *Themis*, 1849. X. III. p. 353—364.

principia bene multa in ipsâ lege fundamentali condidit legislator. Quaestio igitur, eaque gravissima, oritur, quid statuendum sit de nonnullorum Collegiorum legitima conditione usque ad temporis punctum quo leges illae futurae perlatae erunt. Quod ad Cameras Ordinum Generalium attingit, in art. 1 legis provisoriae de electione (Voorloopig Kiesreglement), inde a die quo novae Camerae constitutae sunt, Camerae ex veteris legis fundamentalis placitis constitutae, sublatae intelliguntur. Lex illa provisoria praeterea praescribit modum, quo novae Camerae constituantur, et ita, quod ad ipsorum compositionem, placita abrogavit, quae usque ad illud tempus vim habebant.

Idem non obtinuit ratione Ordinum Provincialium atque Collegiorum Communalium. Intermedium placitum, cujus generis est dicta lex provisoria de electione, circa ea collegia editum non est. Subsistunt et componuntur ergo post legem novam fundamentalem introductam, ex legis veteris placitis. Revera igitur subsistunt contra legem novam fundamentalem, quae aliam constitutionem desiderat.

Quaestiones variae motae sunt, an ita jure Ordines Provinciales et Collegia Urbana sive Communalia subsistant.

Quaesitum fuit scilicet, num Ordines Provinciales qui nominantur in art. 138 novae legis fund., solummodo habendi essent Ordines Provinciales ex art. 123 *ab incolis electi*, an vero illi Ordines Provinciales, qui, secundum veteris legis placita, electi fuerant et hodiedum officio suo funguntur (1).

Altera quaestio mota fuit in Collegio Communi Urbano, num, post legem novam promulgatam, *ab ipso* etiamnum

1) Nonnulli sociorum Ord. Prov. Hollandiae Septentrionalis, die 5 Julii 1849 censuerunt, Ordines Provinciales in art. 138 novae legis fund. nominatos, significatos esse Ordines Prov. electos secundum eam ipsam novam legem fundamentalem. (Vid. *Haarl. Courant*, 6 Julij 1849).

eligendus foret ad Ordines Provinciales delegatus. Dubitarunt scilicet, num articulus 127 veteris legis fund. statim post novam legem fundamentalem promulgatam abrogatus esset (1).

Tertia quaestio mota fuit a Collegio Electorum Urbanorum. Recusarunt votum emittere de socio Collegii Urbani, quandoquidem ex legis novae fund. art. 139, non ab *electoribus*, sed a *civibus ipsis* socii in Collegio Urbano, et quidem non *ad vitam*, eligendi sunt (2).

Tres illae quaestiones uno eodemque argumento solvuntur. Per articulum 3 add., novae legis fund., secundum ea quae supra jam diximus (§ 7), omnia salva manent et habenda sunt tamquam in ipsâ lege fundamentali novâ sancita, quae exstant usquedum ab aliis placitis excipiuntur.

Observandae ergo manent leges atque constitutiones (3), licet sub veteri lege sancitae et principiis novae legis non congruae in iis locis, quorum ordinatio per legem novam mandata est legibus specialibus ferendis, sed nondum latis.

Ex eodem principio articuli 3 add. respondetur ad quaestionem quae moveri posset, num Consilium Status (Raad

1) In conventionne diei 8 Jun. 1849 Collegium Comm. Urbis Tilanae sententiam edidit, se, nova lege fund. promulgata, facultatem amisisse, veteri lege sibi concessam. (*Arnh. Courant*, 12 Junij, n^o. 112).

2) Recusarunt electores die 3 Oct. 1849 eligere curialem in Collegio Comm. Silvae-Ducensis. Censuerunt: 1^o art. 3, add. novae legis fund. ordinationem non spectare ex quâ suo munereungebantur, quippe quae, pars legis fundamentalis annorum 1815 et 1840, una cum ea lege abrogata fuit; 2^o art. 1, add. novae legis fund. tantum loqui de magistratibus (autoriteiten), et ideo eos non spectare, quippe qui magistratus tales non essent; collegio ipso sublato et ideo placitum sponte sublatum esse, quod de eo statuebat: — 3^o eligentes socium *ad vitam*, ita non obtemperare art. 139 novae legis fund. qui socium habet electum ab ipsis civibus, et non *ad vitam*. (*Haarl. Courant*, n^o. 5570).

3) De iis constitutionibus quae electionem spectant, cf. v. HOGENDORP, l. 1. VIII. 309, 316, 317, 321; THORBECKE, l. 1. II. p. 35—39, et in opere: *Over de hervorming van ons Kiesstelsel* Leyden 1842.

van State) (1), uti hodiedum constat, scilicet sine lege ordinatoriâ qualis in art. 71 novae legis fund. requiritur, legitime constitutum sit habendum; et igitur, an ipsius collegii mentio in principio legum, respondeat hodie voto art. 72 § 2 novae legis. Responderi potest, collegium illud legitime constare, ordinatum a Rege, ex plenâ Ipsius potestate, per art. 70 veteris legis fund., Ipsi delatâ.

Collegium Supremum de re monetali (Raden en Generaalmeesters der Munt) expresse nominatum erat in art. 199 veteris legis fund. Ex nova lege, art. 175, quaestiones de universa re monetali regundae sunt *lege*. Usque ad tempus quo lex illa futura perlata erit, Collegium Supremum ex lege 19 Maii 1819, S. B. n°. 31 (2) consistit, et officio suo legitime fungitur.

Ex art. 199 § 2 veteris legis fund. socii in Supremo Collegio de re monetali a Rege nominantur ex nominatione trium candidatorum, Ipsi offerendâ a Camerâ Secundâ. Hocce placitum ex eodem art. 3 add. vim retinet usquedum nova lex specialis de re monetali alia praescripserit. Monuimus enim supra (§ 7), art. 3 add. etiam respicere *ipsam legem fundamentalem*.

Idem dicendum est de sociis Curiarum Provincialium (Provinciale Geregtshoven). Ex art. 180 veteris legis fund. Regi competit electio ex tribus personis, Ipsi ab Ordinibus

1) De Consilio Status cf. VAN HOGENDORP, l. l. VIII. p. 241 et 342; E. C. J. BERTLING, *Diss. Inaug. de Senatorio Reip. Bat. et regni Nederl. Consilio*. Gron. 1838; *Beschouwingen over de wijze van regeling, der zamenstelling en der bevoegdheid van den Raad van State, alsmede over de aan dit Collegie op te dragen regtsmagt in administratieve zaken; Ontwerp van Wet op de zamenstelling en de bevoegdheid van den Raad van State*, door Jhr. Mr. J. G. H. VAN TETS. 'sHage 1848. Cf. VOORDUIN, l. l. ad art. 71 et 72, p. 178, nota 1.

2) Cf. VAN HOGENDORP, l. l. IV. p. 198 seqq.

Provincialibus nominatis. Lex nova in art. 149 rem judicariam ordinare, universe mandavit *legi*. Usque ad novam legem illam perlatam ex art. 149 novae legis fund., valet igitur art. 180 veteris legis, et tantummodo secundum illum articulum Curiae Provinciales rite constituuntur.

Idem valet de Curia Suprema Militari (Hoog Militair Geregtschhof) ex art. 186 veteris Legis fund., uti et de ceteris tribunalibus militaribus, in ipso illo articulo nominatis. Valet etiam de tribunalibus in militia communi (Schuttersraden), quae quidem non in ipsâ lege fundamentali nominantur, sed in artt. 63 et 75 legis 11 April 1827, S. B. n. 17, vi art. 211 veteris legis fund., constituta sunt (1).

Secundum art. 191 novae legis fund., res aquaria (Waterstaat), abrogatis plurimis articulis specialiora praescripta continentibus (2), *generalis* atque *specialis*, regitur *lege*.

Secundum art. 194 et 195 ejusdem legis, publica institutio et res pauperum *legibus* erunt ordinandae.

Usque ad illas leges speciales perlatas, valent de hisce omnibus objectis et ideo de imperii constitutione circa ea, leges atque constitutiones sub veteri lege emissae, sive a Rege (3), sive ab alia qualicunque tandem potestate, cui lex vetus fundamentalis dabat eo tempore facultatem ipsas emittendi (4).

§ 16. Legem novam fundamentalem itaque perlustravimus quod ad imperii formam atque Regni constitutionem. Vidimus, usque ad tempus quo novae leges speciales quas illa lex desiderat, erunt perlatae, placita sub veteri lege

1) Cf. art. 146, § 2 novae legis fund.

2) Cf. HOGENDORP, l. l. VIII, 364 c. 144 seqq. III. 315; THORBECKE, l. l. II. p. 275, 276, 292; VOORDUIN, l. l. p. 473.

3) Cl. Decreta Regis diei 27 Maii a. 1830. S. B. n.º. 9 et diei 2 Jan. a. 1842. S. B. n.º. 1 alia.

4) Vid. Lex diei 3 Apr. anni 1806 de Institutione, alia.

fundamentali emissa, valere in iis objectis, quorum ordinatio *soli legi* a lege fundamentali novâ mandata est.

In permultis hujus generis placitis (plerumque in articulo quodam finali) sibi reservavit sive Rex sive potestas quae illud placitum edidit, facultatem placitum interpretandi, ampliandi atque mutandi, ita ut illa additamenta seu emendationes vel interpretationes habeantur tanquam in ipsius placiti contextu inserta (1). Quaeritur, an hacce facultate *etiamnunc* et *ante legem novam specialem perlatam*, praedita sit illa in civitate potestas, cui lex fundamentalis vetus ea placita emitendi facultatem dabat, et eo quidem effectu, ut potestates in civitate per hacce decreta constitutae, per alias potestates *novo decreto* excipi possint.

Negando respondendum videtur. Verum quidem est, si vis legitima (licet per intermedium aliquod tempus) tribuatur alicui placito, eam tribuendam esse *totius* placiti contextui; sed inde non profluit, illam placiti partem, ex qua oriretur facultas ordinandi aliquid per *decretum* vel *ejusdem generis constitutionem*, ad quod lex nova fundamentalis *legem* requirit, aequè subsistere. Huic parti expressis verbis derogavit illa lex nova; per nova *decreta* vel alia placita praeter solam *legem*, vetera illa placita nullo pacto sunt excipienda, abroganda, amplificanda, immo et ne interpretanda, eo sensu ut interpretatio illa *authentica* dici possit.

Ratio hujus solutionis in eo est, quod horum placitorum auctores, tanquam jus aliquod *legale*, auctoritatem suam acceperant a lege fundamentali quae eo tempore vigeat; quod ideo eo tempore creare poterant potestates in ci-

1) Vidd. inter alia placita: *Reglement voor het bestuur der Steden*, diei 4 Jan. 1824, art. 110; *Reglement omtrent de zamenstelling der Staten van de Provincie*, diei 30 Maii 1825, art. 91; *Reglement op het bestuur ten platten lande*, diei 23 Julii 1825, art. 126.

vitae, secundum mandata ex principiis in lege fundamentali quae tum vigeat, ipsis data. Lex nova fundamentalis vero Ipsi Regi, ipsis auctoribus hanc facultatem expresse *ademit*. Inde a temporis puncto, quo nova illa lex promulgata est, una cum veteri lege abrogatâ, facultas illa evanuit quam ex illâ lege veteri acceperant. Jura enim *mere legalia* non ultra legis vigorem, ex quo derivantur, exerceri possunt. Igitur etiam Ipse Rex et eorum placitorum auctores eâ facultate destituti sunt, quam in *legislatores* detulit lex fundamentalis nova.

Nuperrime sese obtulit quaestio, num munus magistratum qui dicuntur *Districtscommissarissen*, qui in nonnullis provinciis adsunt per decreta provincialia (Reglement omtrent het bestuur ten platten lande) (1), antequam lex provincialis perlata est, tolli legitime possit. Scilicet in specimen legis de redditibus et impensis Regni anni 1850 (begrootingswetten) ipsorum remuneratio non habebatur, cum illa munera amplius retinenda non viderentur (2).

Secundum nostrum principium, solâ lege provinciali aut aliâ quâdam speciali lege, in hacce parte administrationis publicae, mutationes afferri possunt. Lex vero de redditibus et impensis non habet objectum in eo, ut per illam legem ordinetur constitutio Imperii, sed ut debiti fines ratione Aeris Publici praescribantur iis negotiis atque rerum conditioni, quae profluunt ex Imperii constitutione, propriis legibus ordinatâ (3). Igitur per leges de redditibus et im-

1) Vid. art. 126 Constitutionis dictae: *Reglement op het bestuur ten platten lande*, diei 23 Julii a. 1825, n^o. 132, quae in provincia Gelria viget.

2) Vid. *Memorie van Toelichting tot de begrootingswetten*, 1850. (*Bijl. tot de St. Cour.* 1849—1850, p. 17).

3) Ita sentit unus delegatorum Ord. Gen. Vid. *Verslag der Commissie van Rapporteurs op de begrootingswetten*, van 27 Nov. 1849. (*Bijl. tot de St. Cour.*, § 73, p. 84). Ordines Provinciales Gelriae eandem sententiam tulerunt in nota diei 20 Dec. 1849, quam Secundae Came-

pensis quidem de ipsorum *remuneratione ex aere publico* constitui potest, salvâ facultate illas remunerationes referendi ad impensas *provinciales*, — ipsa munera vero per leges de redditibus et impensis nec creari nec tolli possunt. Eadem regula circa illa munera valet; *decreto* ea esse instituta, — *solâ lege* tollenda.

In jure transitorio saepius quaeritur *de negotiis pendentibus*, id est de iis quae sub lege veteri inchoata sunt, perficienda autem sub lege novâ. Hujus generis objecta etiam cogitari possunt in jure publico. Exemplum est in constituentibus Collegiis quibusdam per nominationem sociorum.

Ratione Curiae Supremae (Hooge Raad), secundum art. 158 novae legis fund, nominatio consistit in serie *quinque* candidatorum Regi oblatâ, et in electione ex hacce serie a Rege. Fieri potuisset, ut socius ex Supremâ Curia defecisset ante promulgationem novae legis fundamentalis. Tunc per art. 174 legis fund. veteris, series *trium* candidatorum a Secundâ Camera Ordinum Generelium oblata fuisset Regi. Mox autem nova lex promulgatur; quaeritur, an legitima esset subsecuta electio, facta a Rege ex hacce *triade*?

Negando respondendum videtur. Articulus 158 novae legis fund. numerum *quinque* candidatorum requirit, ut electio sit legitima. Forma observanda est, quae praescribitur in

rae Ordd. Gen. obtulerunt. (*Bijl. tot de S. C.* p. 16 et 17). Cf. THORBECKE, l. I. II. p. 119.

Contrariam sententiam vide in *Antw. der Regering*. (*Bijl. tot de St. Cour.*, § 73, p. 114). Idem etiam judicavit Curia Suprema die 29 Junii 1847. (*Weekbl. van het Regt*, n^o. 827), cum ea quae solvenda sunt nomine *vuur-, ton- en bakengelden* adnumeraret vectigalibus *lege* constitutis, quia illa in lege de redditibus ac impensis Regni annorum 1846 et 1847 erant annumerata. Eodem sensu latius quaestionem agitavit Minister Justitiae in Prima Camera Ord. Gen. d. 28 Dec. 1849. (*Handelsbl.* 31 Dec. 1849), uti et auctor anonymus in diario *Arnh. Cour.* diei 5 Jan. 1850, n^o. 3.

lege, quae viget tempore *quo electio est facienda*. Lex nova enim regit actum principalem — *electionem*. In oblatâ *triade* solummodo spectandum esset initium negotii, cui effectus deesse debet, ubi lex nova ipsi esset contraria. De *jure quaesito* sermo esse non potest; negotium etiamnum est perficiendum, et in futuris lex nova omnimodo est observanda.

Haecce quaestio quidem locum non habuit; attamen in magna legum permutatione, quae nobis futura est, facile occurrere potest, verbi causa si Secunda Camera Ordinum Generalium ex art. 199 § 2 veteris legis fund. seriem candidatorum pro Supremo Collegio de re monetali (Raden en Generaalmeesters der munt) confecisset, et ante electionem a Rege factam, nova lex specialis de re monetali perlata esset (1), in qua electio mandata erat *solî Regi*, sine ulla praevia serie Candidatorum a Secunda Camera Ordinum Generalium Ipsi offerenda. Rex electionem ex plenitudine Suae potestatis facere tum posset. Lex enim nova specialis valet inde a momento ipsius promulgationis; irritum igitur foret, quod inchoaverat Camera Secunda.

Hactenus vidimus de nonnullis quaestionibus, quae oriuntur ex comparatione veteris legis fundamentalis cum lege novâ. Videndum nunc est de collisione inter *duas leges novas*: legem provisoriam de electione (Voorloopig Kiesreglement) dico, et placitum ipsius novae legis fundamentalis, quâ (art. 7 add.) provisorio illa lex continetur.

Uti supra jam vidimus (§§ 7 et 15), provisorio illa lex non tantum effectum denegat articulis 81 et 82 veteris legis fund., sed etiam, per intermedium temporis spatium, articulo 78 novae legis fund. Non solum in primis electionibus applicanda est.

1) Vid. art. 175 novae legis fund.

De usu iterato hujus legis provisoriae usque ad novam legem de electione ferendam ex art. 77 § 2 novae legis fund., quod ad delegatos Camerae Secundae Ordinum Generalium, omnes hactenus convenisse videntur. Varias nominationes subsecutae secundum eam legem provisoriam factae sunt. Quod ad delegatos Camerae Primae, usque ad huncce diem, ejusdem legis usus iteratus non obtinuit (1).

De quaestione, num provisorio illa lex tum quoque erit observanda, atque quâ ratione adhibenda, paucis videre, operae pretium censuimus. Casus enim in lege provisorio de electione expressus non est.

Iterato hujus legis usui opponi jam posset, scopum legislatoris, in constituendâ illâ lege, quem supra (§ 7) memoravimus, non adesse ratione Camerae Primae, quia ex art. 78 novae legis fund. lex specialis non requiritur, qualis in art. 77 ejusdem legis desideratur ratione electionum ad Cameram Secundam. Ordines Provinciales (ita posset argumentari) eligunt per art. 78 cit. delegatos Camerae Primae; illi Ordines subsistunt legitime, licet ex veteris legis fundamentalis placitis hodie dum nominati. Addi forsan posset, ex articulo 28 § 2 juncto art. 12 legis provisoriae, Regi esse mandatum 39 delegatos eligere ex serie 78 candidatorum, Ipsi a civium collegiis (Kiesdistricten) oblati; Regem vero ex hisce articulis non habere faculta-

1) Vir spect. PHILIPSE hucusque loco praesidis in Curia Hollandiae Meridionalis, nominatus praeses hujus Collegii, ex art. 91 § 4 novae L. F. e Camera Prima secessit. Quaestio igitur nunc se offert.

Rex quidem in locum viri nob. VAN DER OUDERMEULEN, qui munere ipsi oblato fungi recusaverat, uti et in locum viri nob. VAN NAGELL VAN WISCH, qui diem supremum obierat, decretis dierum 6 et 19 Febr. a. 1849 novas nominationes fecit secundum art. 30 legis provisoriae; sed vel sic tamen ejusdem legis usus iteratus locum non habuit, post munera a sociis adita, de quo in textu agitur.

tem singulos delegatos nominandi in locum eorum, qui officio jam adito defuncti sunt.

Contra hasce dubitationes tamen valet: 1° effatum illud generale, supra jam laudatum (§ 7), de vi *totius* legis provisoriae usque ad novam legem de electione perferendam. — 2°. Ante oculos legislator in hocce speciali casu habuit, secundum legem fundamentalem novam, delegatos Camerae Primae eligendos esse ab ipsis civibus, non *directe* quidem (uti in electione delegatorum Camerae Secundae), sed *indirecte* (per gradum) ab Ordinibus Provincialibus, qui et ipsi a civibus nominantur. Hanece civium in electionibus participationem in novâ lege fundamentali sancitam in art. 78 juncto art. 123 ejusdem legis, civibus denegare noluit legislator per intermedium illud temporis spatium usque ad legem de constitutione Ordinum Provincialium, ex art. 123 citato ferendam (1). Minime omnium in sensum venit, articulum 3 add. ita applicare, ut, usque ad novam legem de electione perlatam, per art. 82 veteris legis fund. delegati Camerae Primae *directe* nominarentur a Rege. Mediam igitur viam secutus est legislator. Cum scilicet non adessent Ordines Provinciales ab ipsis civibus electi, lex provisoriae et Regi et Civibus, cuique suam partem in electione dedit: a Civibus constituenda est series candidatorum, — Regi autem data est facultas ex hacce serie delegatos eligendi. — 3°. Argumentum denique ex art. 28 legis provisoriae laudatae petitum, non obstare videtur; qui plus potest, etiam quod minus est. Ad verba legis non solum est respiciendum, sed ad ipsius mentem atque efficaciam (2).

1) Vid. VOORDUIN, l. l. ad art. 2. *Voorl. Kiesr.* VI. p. 559.

2) Si istiusmodi interpretandi rationem sequeremur quod ad art. 28 legis provisoriae cit., idem valere necesse est de art. 78 novae legis fund., ubi etiam de numero colectivo sermo est; et tamen, sine ullo

In ipsâ lege provisorîâ insuper Regi articulus 30 facultatem tribuit plures faciendi electiones, quam articulus 28 § 2 cit. definiverat.

Ex hisce argumentis probanda videtur sententia, legem provisoriam, etiam postquam munera adierunt delegati, valere, ut secundum eam legem delegati in Camera Prima a Rege eligantur in locum eorum qui munere defuncti sunt, sive per mortem, sive per unam alteramve causam, in artt. 86, 88, 91, 124 novae legis fund. memoratam.

Quaerendum vero, an articulus 30 legis provisoriae de electione, hisce omnibus casibus sufficiat, adeo ut Rex electiones facere possit ex serie 78 candidatorum, Ipsi oblâtâ, dum primâ vice civium collegia (Kies-districten) candidatos suos nominarunt?

Ut videtur, eo casu, non tantum articulus 30 legis provisoriae in censum venit, sed etiam articuli 12 et 29 juncto art. 28 ejusdem legis. Ex hisce articulis patet, mentem legislatoris fuisse, ut Rex, dum electionem facit, habeat numerum plenum 78 candidatorum, ut ex hisce eligat 39 delegatos, — dum decisio de capacitate munere suo fungendi, per art. 31 legis provisoriae juncto art. 93 novae legis fund., ipsi Camerae Primae est mandata.

Negari quidem non potest, Regem, in casu articuli 30 legis provisoriae, non habere seriem plenam 78 candidatorum, si scilicet unus alterve candidatus quem Rex delegatum nominaverat, recusaverit aut non potuerit munere oblato fungi, quippe muneris incapax; — observandum vero videtur, articulum 30 cit. solummodo respicere primas nominationes;

dubio, ibi eadem potestas elegendi Ordinibus Provincialibus est data, perinde utrum electio facienda sit in casu dimissionis totius Camerae Primae, ex art. 70 novae legis fund., an in locum eorum, qui aliam ob causam (v. c. in casu art. 91 § 4 ejusdem legis) munere defuncti sunt.

defectum unius vel alterius ex delegatis, antequam Cameram Primam jam intraverant. Contextus ipsius articuli hoc docet; *electi* in hocce art. 30, non alii sunt habendi, atque electi secundum art. 28 ejusdem legis. Hicce enim art. 28 arctissimo vinculo cum articulis 29 et 30 cohaeret; unum eundemque contextum constituunt, licet tribus articulis repartitum. Ipsa res etiam hanc sententiam probat; facile enim evenire potest, ut lex de electione et lex de constitutione Ordinum Provincialium, quas requirunt artt. 77 et 123 novae legis fund., etiamnum per satis amplum temporis spatium desiderentur; quid igitur si per huncce temporis lapsum numerus candidatorum, qui in serie originariâ manserunt post primas a Rege factas electiones, morte candidatorum evanuerit; quid, si Camera Prima, ante leges praedictas promulgatas, a Rege ex art. 70 novae legis fund. dimittatur? Hocce casu certissime, ex art 70 § 2 novae legis fund., nova candidatorum series a civium collegiis esset facienda.

Stat ergo principium: Rex ad electiones de quibus agimus, post Cameram Primam inauguratam, semper habeat seriem candidatorum, in lege provisoria de electione requisitam — ex numero 78 candidatorum adsint 39 delegati, 39 candidati; — ut unumquodque civium collegium duos candidatos elegerit, ex lege provisoria necesse est, perinde utrum omnes candidati munere suo fungi possint aut velint, nec ne.

Jam si quaeritur, quomodo ex hisce nominationes fieri debeant a Rege, distinguendum esse videtur inter casum, quo delegatus deficiens *absolute* excluditur, — et inter casum, quo, ex artt. 91 § 4 et 86 § 2 in fine novae legis fund., delegatus quidem munere suo defungitur, sed denuo eligi potest.

In priori casu, ex nostra sententia, in locum deficientis delegati, alius candidatus eligendus est, et quidem

ab ipso illo civium collegio, quod deficientem delegatum candidatum nominaverat. Nisi hocce fieret, Rex non haberet seriem candidatorum, Ipsi ex lege provisoriâ concessam. Series illa, e qua electio a Rege fiat, semper tot contineat nomina, ut, addito numero delegatorum qui munere suo funguntur, adsint 78 civium nomina.

In altero casu nomen deficientis delegati in numero candidatorum, in serie originariâ collocato, adesse numquam desiit. Novus ergo candidatus in hocce casu non est nominandus. Attendendum vero, idem non dicendum esse, si unus alterve candidatorum, qui originariâ serie continebantur, tempore nominationis a Rege faciendae, mortuus jam esset. Tum quoque, ante novam nominationem faciendam, candidato interea mortuo novus candidatus in serie substituendus esset (1).

Ratio enim, propter quam vidimus in priori casu novum candidatum seriei originariae adjungendum esse, eadem valet circa candidatos ipsos interea mortuos; lex etenim provisoria de electione postulat, ut series contineat numerum plenum 78 civium.

In quibusdam capitibus circa Regni constitutionem et Imperii formam igitur lex fundamentalis nova hodiedum effectum suum plenum non habet, quia per art. 3 add. decreta aliaque placita sub veteri lege fundamentali emissa, valere debent usque ad novas leges speciales promulgatas. In aliis, ipsius legis fundamentalis novae placita effectum non

1) Exemplum sit in electione futura propter decessionem viri spect. PHILIPSE (cf. p. 45, nota 1). Ut rite nova electio fiat, antea novus candidatus seriei est adjungendus, non quidem ab iis civium collegiis, quae virum spect. PHILIPSE candidatum in originariam seriem posuerunt, sed ab iis collegiis, quae virum nob. VAN NAGELL VAN WISCH, interea mortuum, aliosque, si interea defecerint, candidatos nominaverant.

habent, quia intermedia lex de electione eorum effectum tardat. Sunt vero nonnulla, in quibus contrarium obtinet; ubi scilicet *lex nova ipsa* rem decedit.

Exemplum habemus in jure toparcharum offerendi seriem candidatorum in Collegiis Communalibus, ut Rex inde socium nominet per artt. 11 § 4 et art. 14 Constitutionis, quae dicitur: *Reglement op het Bestuur ten platten lande*. Licet constitutio ipsa, quâ hocce jus conceditur, uti supra vidimus (§ 15), vim legis retineat, usque ad legem specialem quam requirit art. 138 novae legis fund., tamen in hocce capite per art. 4 § 1 add. ejusdem legis effectum suo caret. Ille articulus 4 § 1 add. spectat ea toparcharum jura politica, quae, sine ullâ restrictione aut compensatione, toparchis auferuntur (1), etiamsi titulo oneroso sint comparata. Articulus 4 § 1 add. valet inde a nova legis fundamentalis promulgatione circa omnia omnino, quae post hancce promulgationem occurrunt; et quidem valet, licet jura quaesita laedantur in posterum. Jura quaesita enim obstare non possunt.

Duplex nempe de horum jurium acquisitione est sententia. Alii putant, talia jura *delegata* esse in acquirentes, non vero, stricto sensu, *vendita*. In acquirendo istiusmodi jure viderunt delegationem potestatis a Summo Imperante in alium collatam. Igitur, eo sensu, nummi hocce titulo soluti, non habendi sunt *pretium emptionis venditionis*, sed tantum *recognitio* quaedam pro usu temporali hujus juris (2). — Si res ita comparata esset, sponte patet, Sum-

1) Vid. VOORDUIN, l. l. ad art. 4 add., III. p. 534. VIII. p. 536. XI. p. 540. XII. p. 541.

2) Ita censuerunt cons. WICHERS et MUTSAERTS in orationibus, quas habuerunt in Camera Secunda die 24 Aug. a. 1848; ita quoque Minister, qui internis rebus praefuit, jura quae in § 1 art. 4 add. memorantur, habuit juris *publici*, bene distinguenda ab iis, quae in § 2

num Imperium istiusmodi delegandi facultatem non habere, nisi vi legis de constitutione Imperii, quae eo temporis momento vigeat, et hâc lege abrogatâ, cessare Summi Imperii facultatem delegandi aliquam partem potestatis suae. Jura enim mere legalia cum ipsâ lege qua nituntur, evanescent. Praeterea non aliud actum esset, nisi *temporalis delegatio*, quae in se habebat conditionem omnimodo resolutoriam. Delegatio igitur illa cessat una cum jure delegantis.

Alii contrariam tuerentur sententiam, et vident in hisce toparcharum juribus veram ita dictam *emptionem venditionem*; nummis solutis igitur emptor jus acquisitum haberet in re, quae eo tempore habebatur inter res in commercio (1).

Multum de eo disputatum est, utrum Constitutione anni 1798 (artt. 24 et 25) illa jura *abrogata* sint, *restituta* autem decreto diei 26 Martii 1814 (2); utrum igitur re vera auferrentur art. 4 § 1 add. citato. Missâ hacce quaestione, illud statuendum videtur, jura illa, licet ea *acquisita* essent dicenda, tamen lege fundamentali, inde ab ipsius promulgatione, auferri. In priori enim dissertationis parte (§ 9) vidimus, ubi legislator jura *quaesita expresse*

significentur, atque sunt juris *civilis*. (VOORDEIN, l. l. ad art. 4 add. X. pp. 539 et 540).

1) Ita putarunt quinque socii in Prima Camera Ordd. Gen. Exemplum praebuerunt in eorum jurium publica venditione emptione anni 1729 in urbe Vianensi habita ab Ordinibus Hollandiae et West-Frisiae. (Vid. VOORDEIN, l. l. ad art. 4 add. IX. p. 536, 537). Cf. *Arr. van het Hof van N.-Brab.* 2 Mei 1843. (*Régtsg. Bijbl.* 1843, p. 667).

2) Negat hoc ampl. THOREBECKE: 1^o. quia jura publica, ipsorum naturae causâ, ex lege fundamentali tantummodo acquiruntur; 2^o. quia jurium eorum politicorum exercitium Decretum anni 1814 non regere posset. Jus autem non adest, ubi exerceri nequit. l. l. II. p. 117—119. Cf. DE MARTINI, 2^o *Verz. van Bijlagen*, p. 161.

tollit ob causas ipsi sonticas, legem novam statim adhiberi posse, etiamsi tunc, juris fictione, nova lex ad praeteritum traheretur. Hocce ipsius jure, in art. 4 § 1 add. laudato, legislator noster fundamentalis ratione jurium toparcharum usus est, uti abunde patet ex deliberationibus de hocce articulo habitis (1). Nihil ulterius hac in re per legem specialem ordinariam est statuendum; valet ergo legis novae fundamentalis placitum circa omnia quae, inde ab ipsius promulgatione, *in posterum* perficienda sunt (2), perinde utrum jura toparcharum habenda sint *jura acquisita*, an vero *delegationes temporales Summi Imperii*.

Et haecce valent non tantum de serie candidatorum offerendâ post diem 3^{um} Nov. 1848, sed (secundum ea quae in hacce § jam vidimus) etiam de serie Ipsi oblatâ ante huncce diem, e quâ Rex ante illud temporis momentum electionem quidem facere potuisset, sed nondum fecit. — Rex igitur inde a die 3 Nov. 1848 praesidem in collegio communi eligere potuit, perinde ac si nulla series candidatorum Ipsi fuisset oblata, et quidem ex art. 139 § 2 novae legis fund., quo Praesidis nominatio Regi defertur, etiam ex iis, qui Collegii Communalis socii non sunt. Ille articulus 139 § 2

1) Vid. VOORDUIN, l. l. ad art. 4 add. VI, X, pp. 535—538.

2) Ita quoque censuit Commissarius Regis Hollandiae Meridionalis in epistolis (Circulaire) dici 18 Nov. a. 1849 ad Collegia Communalia missis. — Dixi art. 4 add. *in posterum* circa omnia valere; idque eo sensu, ut articulus intelligeretur toparchis jura adimere inde a die novae legis promulgatae. Sic recognitiones, si quaedam ex art. 13 Constitutionis dictae *Reglement op het bestuur ten platten lande* deberentur, inde a die 3 Nov. anni 1848 amplius non debentur; illae vero quae usque ad eum diem debitae fuerunt, etiam nunc, novâ lege introductâ, exigì possunt. Si etenim lex nova indebitas faceret recognitiones illas, quae ante ipsius promulgationem jam constitutae, arete cohaerebant cum eo jure quod legitime exercebatur, fingeretur extitisse tempore quo nondum aderat.

citatus inde a legis novae promulgatione non tantum jura toparcharum circa nominationem, de qua hactenus egimus, sustulit, sed per illum etiam articulus 52 Constitutionis dictae: Reglement over het Bestuur der Steden, diei 4 Jan. 1824, abrogatus est, ita ut Praeses (Burgemeester) in posterum non ex solis sociis Collegii Municipalis (Stedelijke Raad) eligendus sit.

Ex art. 11 § 1 constitutionis (Reglement op het Bestuur ten platten lande) diei 23 Junii 1825, Praesides Collegii Communalis Ruralis (Gemeente-Raad) poterant eligi etiam *extra* socios Collegii, et per hanc electionem horum Collegiorum socii fiebant. Licet hicce articulus plane conveniat cum articulo 139 § 2 novae legi fund., electiones tamen post novae legis fundamentalis promulgationem perfectae non amplius fundamentum habent in constitutione citata, sed in ipsa nova lege fundamentali.

CAPUT II. JURA ATQUE OFFICIA AD IMPERIUM ACTUS NECESSARIA.

§ 17. In superiori Capite egimus de potestatibus in civitate nostrâ, aeque per legem novam atque per legem veterem fundamentalem constitutis. Videndum jam de juribus atque officiis, quae in lege fundamentali hisce potestatibus conceduntur, ut imperii actus rite exercent.

In hisce plura sunt mutata. Alia quidem manserunt intacta, sed meliori verborum contextu expressa (1); alia in lege novâ fundamentali habentur apertis verbis, quae non-

1) Off. inter alios, artt. 13, 14, 15, 31, 69, 87 novae legis fund. cum artt. 13, 14, 15, 34, 69, 91 veteris legis fund.

nisi ratiocinio ex veteri lege erant deducenda (1); alia denique in novâ lege fundamentalî noviter sunt constituta (2).

Posterioris generis nonnulla sunt constituta, de quibus plane silebat lex fundamentalis vetus; alia ita sunt mutata, ut id quod sub lege veteri fundamentalî uni alterive potestati fuerat mandatum, jam per legem fundamentalem novam *solâ lege* sit definiendum. Si revisionem anni 1848 universe attendamus, primaria mutatio in eo obtinuit, ut quam plurima in posterum *solâ lege* sint definienda, et igitur finis imponatur regimini quod hucusque obtinuerat, ex quo bene multa regerantur, — per constitutiones Principis (Besluiten-regering).

Ita Regis potestas universe circumscripta est. Leges futurae ordinabunt quod antea Regis arbitrio fuerat relictum (3). Jus Placeti ipsa lege fundamentalî (4) Regi fuit ademptum. Regis potestas ab alterâ parte videri potest esse confirmata atque aucta, cum Ipsi concessa jam sit facultas Cameras dimittendi (5).

Legislatoria potestas igitur maximopere aucta est; nec tan-

1) Cf. inter alios artt. 50, 53, 54, 82, 92 novae legis fund. cum artt. 51, 75, 85 veteris legis fund. Vid. THORBECKE, I. I. ad hosce articulos inpr. I. I. I. p. 104 seqq. 236, ubi plura eorum, in lege fund. esse recipienda jam monnerat auctor.

2) Cf. artt. 27 § 2, 70, 89 § 2 et 3, 90 novae legis fund. cum artt. 29, 93 veteris legis fund. Vid. THORBECKE, I. I. ad hosce articulos. Tandem art. 26 § 1 in fine legis novae fund. collatus cum art. 28 legis veteris. De hoc loco cf. MÜSCH, *Das Grosz-Herzogthum Luxemburg, integrireder Theil des Teutsche Bundes* etc. Braunschw. 1831.

3) Cf. artt. 58 § 2 et 3, 60 § 2, 61 § 4, 66 § 3, 67 novae legis fund. cum artt. 58 in fine, 59, 60 § 1 in fine, 66 et 67 veteris legis fund. Cf. THORBECKE, II. p. 239 et passim.

4) Vide art. 170 novae legis fund. Cf. A. A. A. DEZIER, *Diss. Inaug. de Jure Placeti*. Tr. ad Rh. 1848.

5) Vid. art. 70 novae legis fund. De jure dimittendi Cameras Ordd. Gen. Cf. VAN HOGENDORP, I. I. VIII. p. 262; THORBECKE, I. I. I. p. 272—277; VOORDUIN, I. I. ad art. 70 p. 177, coll. p. 118.

tum ambitu negotiorum, quae ab ipsâ ordinanda sunt, sed etiam concessis adminiculis in exercendâ legislatoriâ potestate. Utrique Camerae Ordinum Generalium scilicet concessum est jus interpellationis et propositionis circa ea, quae ipsis mandata sunt (1). Secundae Camerae insuper concessum est jus inquisitionis (enquête) et jus emendationis (amendement) (2). — Deliberationes in utrâque Camerâ publice sunt habendae (3). Ab alterâ parte socii in Camerâ Primâ non amplius *ad vitam* nominantur (4). Utraque Camera Ordinum Generalium, uti dictum est, a Rege potest dimitti (5).

Quod ad Ordines Provinciales, ipsis mandata exsecutoria potestas, in veteri lege fundamentali certis finibus circumscripta, jam *lege* et insuper *a Rege* extendi potest (6).

Ab alterâ parte tributa Provincialia non nisi *lege* irrogari possunt (7). — Legi mandatum est circumscribere fines potestati Collegii Ordinum Provincialium delegatorum (Gedeputeerde Staten) (8); extendi illa potest vel restrin-

1) Cf. artt. 89 §§ 2 et 3, 113 novae legis fund. cum art. 93 veteris legis fund. — Cf. THORBECKE, l. l. I. p. 252—254 et p. 314 seqq.

2) Vid. artt. 90 et 107 novae legis fund. Cf. VAN HOGENDORP, l. l. VIII. p. 274, 275; THORBECKE, l. l. I. p. 302—309 et p. 314. Cf. Conceptum legis de jure inquisitionis diei 13 Aprilis 1849 *Bijbl. tot de St. Cour.* blz. 277. *Bijlagen tot de Staatsc.* p. 179, uti et ea quae habentur in diario *Handelsbl.* 2 Mei, 9 Aug. 1849.

3) Cf. art. 96 novae legis fund. cum art. 109 veteris legis fund. Cf. THORBECKE; l. l. I. p. 293.

4) Cf. art. 86 novae legis fund. cum art. 82 veteris legis fund.

5) Vid. art. 70 novae legis fund.

6) Cf. artt. 130, 131, 192 novae legis fund. cum artt. 143, 144, 219, 220 veteris legis fund. Cf. VAN HOGENDORP, l. l. VIII. p. 293 seqq.; THORBECKE, l. l. II. p. 73, 81, 86, 91—94. De decretis caeterisque placitis, quibus Ordinum Provincialium potestas circumscribitur, vidd. VAN HOGENDORP, l. l. VIII. p. 400. I. p. 156; — THORBECKE, l. l. II. p. 113—115.

7) Cf. art. 129 § 3 novae legis fund. cum art. 141 veteris legis fund.

8) Cf. art. 136 novae legis fund. cum art. 151 veteris legis fund.

gi (1). Interea hujus Collegii auctoritas in art. 32 legis provisoriae de electione (Voorloopig Kiesreglement) aucta est, ipsi mandatâ facultate omnia ea constituendi, quae executionem legis citatae spectant, et decisionem ferendi de quaestionibus obviis. Denique, uti supra in Capite praecedenti (§ 13) vidimus, ex lege novâ fundamentali in posterum Ordines Provinciales non nominant delegatos Camerae Secundae Ordinum Generalium, sed delegatos Camerae Primae, et quidem ex classe ditiorum.

Quod attinet ad Collegia Communalia (Gemeente-Besturen), mens novae legis fundamentalis universe eo tendit, ut ea quae sunt loci, a magistratu loci etiam regantur, et, quoad fieri possit, cesset illud omnia ad Summi Imperii sedem quasi ad centrum aliquod commune evocandi studium, quam *centralisationem* dicunt (2). Verba legis novae fundamentalis potestatem Collegiis Communalibus tribuendam legi speciali mandarunt (3). Lex illa verisimiliter auctoritatem horum Collegiorum augebit. E contrario socii horum Collegiorum non amplius *ad vitam* eliguntur (4). De vectigalibus communalibus (Belastingen) (5), uti et de concipiendis reddituum ac impensarum tabulis (Begrootingen), atque de rationibus reddendis *lex ipsa* regulas dabit. Harum rerum ordinatio igitur non amplius *ipsis Collegiis*

1) Cf. THORBECKE, l. l. II. p. 115; VOORDEIN, l. l. p. 299, 300, 333, 334, 336, 346, 596.

2) Cf. VAN HOGENDORP, l. l. I. 216. IV. 42 seqq., 219. V. 83. VIII. 142.

3) Cf. art. 138 novae legis fund. cum art. 152 veteris legis fund. De lege communi vid. THORBECKE, l. l. II. p. 47, 123.

4) Cf. art. 139 novae legis fund. cum art. 152 veteris legis fund. — Cf. VAN HOGENDORP, l. l. VIII. p. 311, 321; THORBECKE, l. l. II. p. 41.

5) *Arrest van den H. R.* 19 Maart 1844. (*Bijbl.* VII. p. 654) statuit, vectigalia Communalia, etiam sub lege veteri fund., decretis Ordinum Prov. constitui non posse. Cf. *Weekbl.* n^o. 1040. 1041.

Communalibus aut constitutionibus circa res communales, est mandata (1).

Ex lege fundamentali novâ aequae atque ex veteri lege, Regi adsunt Consilium Statûs (Raad van State) et Ministri, idque sive Regem attendas, una cum Cameris Ordinum Generalium legiferâ potestate indutum, sive Ipsum spectes exsecutoriâ potestate utentem. In posterum tamen compositio ac potestas Consilii Statûs *lege* sunt definiendae (2). Ministri Regis expresse dicuntur de ratione qua officium exercent, respondere, et quidem secundum regulas speciali lege ponendas (3), ipse vero Rex (quod vetus lex non exprimebat) est inviolabilis (4). Rex in Provinciis Commissarios suos (Commissarissen) nominat, et quidem non amplius iis omnia omnino mandare potest, sed tantummodo ea, quae in ipsâ lege fundamentali novâ sunt descripta (5). Quaestionem de suffragio ab ipsis Commissariis emittendo, dire-

1) Cf. artt. 142, 143 novae legis fund. cum artt. 155, 156, 157 veteris legis fund. Cf. VAN HOGENDORP, l. l. VIII. p. 315 seqq. IV. 42 seqq. VII. p. 302; THORBECKE, l. l. II. p. 127 seqq., 136.

2) Cf. art. 71 novae legis fund. cum art. 70 veteris legis fund.

3) Cf. artt. 53 et 73 § 3 novae legis fund. cum artt. 75 et 76 veteris legis fund.

4) Vid. art. 53 novae legis fund. De hacce materia sub lege fund. a. 1815. vid. VAN HOGENDORP, l. l. VIII. p. 243—251, 343, 406; *Proeve over de verantwoordelijkheid van Ministers en andere Ambtenaren*. 's Gray. (Bijdr. tot Regtsg. en Wetg. VI. no. 3, p. 520). *Iets over de verantwoordelijkheid der Ministers, volgens de Grondwet van 1815*. Utrecht 1849. (Ned. Jaarb. II. no. 1, p. 142). De hacce materie sub lege fund. anni 1840. Vid. THORBECKE, l. l. I. p. 105 seqq., 188—204. — Cf. *Proeve van Wet op de minist. verantwoordelijkheid*, etc. Vlissingen 1840. (Ned. Jaarb. III. p. 315 seq.); *Onschendbaarheid des Konings*. 's Gravenh. 1847. (Jaarb. X. p. 125); *Regtsg. Bijbl.* III. p. 97, 113, 129, 185.

5) Cf. art. 137 § 1 novae legis fund. cum art. 135 § 1 veteris legis fund. Cf. THORBECKE, l. l. II. p. 52—59.

mit ipsa lex nova (1). Collegiorum Communalium Praesides (Burgemeesters) Rex nominat; nec amplius distinguitur inter Praesides Collegiorum Communalium *Urbanorum* et *Rusticorum* (2). Solus Praeses nominatur a Rege; Assessorum Rusticorum (Assessoren) nominatio nec Regi, nec, Ipsius vice, Commissariis Regis amplius mandata est (3). De Assessoribus tum Rusticis, tum Urbanis (Wethouders, Assessoren) agendum erit in lege speciali, quam art. 138 novae legis fundamentalis requirit.

Praeter hacce, inde a Capite V novae legis fundamentalis, nonnulla noviter sunt mutata, obiter hoc loco attingenda. Ordinatio Potestatis Judiciariae (Regterlijke Magt) *legi speciali* (uti jam vidimus § 13) est commissa. Lex fundamentalis nova ipsa non constituit, uti lex vetus, ipsius potestatem (4). Per legem definiendum est, quid a *judice*, quid a *magistratu* sit judicandum (5).

Pariter atque ipsa constitutio Collegiorum quibus mandanda est cura rei monetariae (Raden en Generaalmeesters der Munt), ita et officia quibus funguntur, *lege* erunt definienda (6). Idem valet de collegio rationibus publicis reddendis praeposito (Rekenkamer) (7).

1) Vid. art. 137 § 2 novae legis fund. Vidd. VOORDUIN, l. l. ad art. p. 335, nota 1 et auctores ibi laudati.

2) Cf. art. 139 § 2 novae legis fund. cum art. 152 veteris legis fund.

3) Cf. art. 138 novae legis fund. cum art. 11 Decreti *Reglement op het bestuur ten platten lande*. a. 1825.

4) Cf. art. 149 novae legis fund. cum artt. 164, 180—183 veteris legis fund. Cf. THORBECKE, l. l. II. p. 160, 161, 208.

5) Cf. art. 150 § 2 novae legis fund. cum art. 165 veteris legis fund. Cff. THORBECKE, l. l. II. p. 155 seqq. VOORDUIN, l. l. ad art. 150, p. 366 seqq.

6) Cff. art. 174, 175 novae legis fund. cum artt. 198, 199 veteris legis fund.

7) Cf. art. 176 novae legis fund. cum art. 200 veteris legis fund. Vid. THORBECKE, l. l. II. p. 240 seqq.

Ea, quae Regni defensionem spectant, in permultis *lege* sunt ordinanda, huc usque constitutionibus perficienda, aut in ipsa lege fundamentali definita (1). De hisce uberius est videndum, ubi de juribus atque officiis civium agimus. Hocce loco ea animadvertimus ratione eorum quae ex lege fundamentali veteri mandata erant Regi, ex lege novâ *soli legi*.

Magna mutatio obtinuit circa Rem Aquariam (Waterstaat). Proclamavit lex nova fundamentalis differentiam inter ea, quae mandanda sunt *universali* cuidam administrationi atque *peculiari*. Jura ac privilegia utriusque lex specialis definit, cujus summa principia in lege novâ fundamentali adumbravit legislator (2). Peculiaria placita, huic legi ut conveniant in posterum, strictissime requirit lex nova. De decretis, quae per collegia aquaria (Heemraadschappen) in posterum emittuntur, cura mandata est Ordinibus Provincialibus (3).

Institutio publica et cura circa pauperes denique ordinandae sunt *lege* (4), quae jura et officia potestatum in Civitate circa hasce res definit.

§ 18. In Jure transitorio, uti vidimus, saepius agitur de juribus acquisitis. Si jura acquisita tantummodo ea habeamus, quae per factum aliquod hominis, quod nititur lege, in patrimonium alicujus sunt redacta, et igitur in dominio nostro sunt, de ipsis in jure publico sermo esse non potest, sed tantummodo in jure civili (5).

1) Cf. artt. 183 § 2, 183 novae legis fund. cum artt. 206, 211 veteris legis fund. Cf. art. 186 novae legis fund. — Vid. THORBECKE, l. l. II. p. 257 et 273. Cf. VAN HOGENDORP, l. l. VIII. p. 362—364.

2) Vid. art. 190 et 191 novae legis fund. — Vid. THORBECKE, l. l. II. p. 275; VOORDUIN, l. l. ad cap. IX. p. 463 seqq.

3) Cf. art. 192 novae legis fund. cum artt. 219, 220 veteris legis fund.

4) Cf. artt. 194, 195 novae legis fund. cum artt. 224 et 226 veteris legis fund. — Cf. THORBECKE, l. l. II. p. 296, 297 et p. 304.

5) Vid. THORBECKE, l. l. II. ad art. 152, p. 117—119.

Supra autem (§ 10) jam diximus, legem fundamentalem nostram quoque spectare jura, quae politica, stricto sensu, non sunt habenda; ideoque quum per factum aliquod legi fundamentali consentaneum sint constituta, effectus suos habere debent sub lege fundamentali vigente, licet ipsi contraria sint. Sed ut hi effectus sub lege novâ obtinere possint, necesse est, in jure publico aequè atque in jure civili, ut illi effectus *proxime* cum ipsâ dispositione vel facto adeo cohaereant, ut in ipso facto quasi insint, et a parte ejus a quo factum tale est perpetratum, necessario sint intellecti.

In Capite praecedenti (§ 16), de quaestione egimus, in quâ, ex nonnullorum sententia, jura quaesita adessent. Hic autem eorum jurium exemplum est in tractatu, sub lege fundamentali veteri, inito ex art. 57 ejusdem legis, et in quo derogatur legibus quae in Regno Nederlandico valent; si v. c. nonnulla circa vectigalia importationis (*inkomende regten*) in *tractatibus* constituuntur in favorem peregrinorum, diversa ab iis quae civibus per *leges Regni* (1) incumbunt. Secundum veterem legem fundamentalem istiusmodi tractatus plenum suum habebant effectum, nam 1°. in veteri lege fundamentali incundi tractatus Regi plena erat concessa facultas; objectorum ambitus, quae tractatibus contineri possent, circumscriptus non erat; — 2°. lex vetus tantum approbationem ab Ordinibus Generalibus requirebat, si tractatus *tempore pacis* initus fuisset, et si derelictionem aut mutationem partis territorii contineret; communicatio illa cum Ordinibus Generalibus non requirebatur, uti in art. 57 novae legis fund., si derogaretur juri, legibus constituto.

1) Vid. inter alios, Tractatus diei 31 Martii 1831, S. B. N°. 19, artt. 4—14. Cf. THORBECKE, ad art. 195, p. 233, 234 coll. I. ad 57. I. p. 123, 124.

Quaeritur, num istiusmodi tractatus sub veteri lege initus, sub novâ lege legitime consistat, et derogatio illa vim suam continuam habere possit?

Affirmando respondendum videtur. Factum enim (tractatus initus), tempore ipsius facti, legi tunc vigenti fuit consentaneum; Regi eo tempore competeat plena facultas ad illud factum perficiendum. Hacce facultate legitime usus est Rex, et quidem eâ mente ut effectus hujus tractatus, quos tunc ante oculos habebat et habere poterat, obtinerent sine ulla restrictione, tamquam effectus necessarii. Valent igitur hi effectus et speciatim istiusmodi derogationes, etiam post legis novae fundamentalis promulgationem, licet consensu Ordinum Generalium careant. Verbo: ipse tractatus cum omnibus suis effectibus regitur lege veteri.

Haecce quaestionis solutio consentanea est principiis, de quibus supra vidimus (§ 9); nam si istiusmodi abrogationibus juri legibus constituto, effectus denegaretur in negotiis sub veteri legi fundamentali peractis, sub novâ lege fundamentali dijudicandis aut ad effectum suum perducendis, idque quia non accessit Ordinum Generalium consensus, tunc, contra juris principia, lex nova ad praeteritum traheretur et applicaretur ac si jam promulgata fuisset tempore quo tractatus initus fuit.

Nullum ergo dubium in casu, quo post novae legis fundamentalis promulgationem aliquis effectum tractatus reclamaret et frui vellet jure aliquo quod tractatu erat sancitum, v. c. si magister navis portum Nederlandicum, post novam legem fundamentalem promulgatam, intrare vellet non solum vectigali ex lege debito, perhibens in tractatu se esse liberatum officio debitum vectigal solvendi. Dici quidem posset, *novam* legem in hocce casu esse applicandam, quippe quae *futura* spectat, — sed perperam, nam in eo casu nova lex pactis conventis vim suam denegare nequit;

magister navis enim in casu proposito sibi accommodat effectum, qui tam arcte cum ipsis pactis cohaeret, ut ab iis separari non possit. Jura scilicet quae ex hocce tractatu profluxerunt, inde a temporis momento quo ille tractatus vim obligatoriam accepit, acquisita sunt extraneis atque intacta ipsis servanda, perinde quo temporis momento effectum habent.

Eadem argumenta valent in quaestione, utrum dispensatio, in casu legibus non expresse nominato, ex art. 67 veteris legis fund., a solo Rege legitime (1) data, etiam valeat post legis novae fundamentalis promulgationem. Illi scilicet quibus dispensatio data est, privilegio suo sub lege novâ fruuntur, si casus occurrat sub eâ lege, licet in tali casu privilegium concedere, ex lege novâ fundamentali nefas esset.

Quaestio mota fuit circa art. 121 § 3 novae legis fund. collatum cum art. 125 § 3 veteris legis fund. Quum enim fiant subinde *transcriptiones* in tabulis expensi publici, eo proposito ut rationes expensorum convenient cum eorum tabulis ab Ordinibus Generalibus olim comprobatis, jam ille articulus quem priori loco citavi, ad eas, etiam in eodem Capite Administrationis faciendas, requirit *legem*. Altero articulo transcriptiones mittebantur *sine lege* praevisâ, dummodo fiebant secundum normam praescriptam in art. 24 legis diei 5 Oct. 1841, S. B. n.º. 40 (2). Quaesitum ergo fuit, quid statuendum de administratione ipsius anni in quo lex nova fundamentalis promulgabatur; puta, utrum transcriptiones pro hocce anno, usque ad ipsius terminum,

1) Contra veteris legis fundamentalis abusum jam scripserunt VAN HOGENDORP, l. l. VIII. p. 240; THORBECKE, l. l. I. p. 163, 164; Cons. J. M. DE KEMPENAE in foro Arnhemensi. (*Weekbl. v. h. Regt.* n.º. 445 seqq.)

2) Cff. VAN HOGENDORP, l. l. VIII. p. 238; THORBECKE, l. l. I. p. 338, 339.

sine lege fieri fas esset? Dubium in eo esse censuerunt, quod administratio hujus anni in concepto redituum et expensarum (*begrootingswet*) esset ordinata sub lege veteri, et ergo cum privilegio transcribendi in eodem Capite ad libitum; hocce privilegium laedi, si lex nova fundamentalis valeret statim inde ab ipsius promulgatione, ita ut, inde a die 3 Novembris 1848, *lex ad transcriptionem* requireretur.

Distinguendum esse mihi videtur inter transcriptiones factas ante diem promulgationis, et post eum. Priores ratae manebunt, licet effectum suum demum sortiantur tempore quo redduntur rationes publicae; facultate enim usus est Minister, quam lex fundamentalis tunc vigens ipsi concedebat; eo enim temporis momento, quo transcriptio facta est, etiamnum valebat art. 125 § 3 veteris legis fund.; factum hominis ergo intercessit, legi praesenti consentaneum, quo negotium prorsus absolutum est. Si negotium istud in posterum (tempore quo rationes publicae ex art. 122 novae legis fund. redduntur) effectum suo careret, lex nova ante ipsius promulgationem jam valuisset.

Contrarium dicendum esset de transcriptionibus, post legem novam fundamentalem promulgatam factis. Inde ab eâ lege promulgatâ facultas non amplius aderat transcribendi *sine lege* (1). Privilegium de quo locuti sunt adversarii, unice in lege fundamentum habebat; una cum lege ergo abrogatum est. Nulla lex ordinatoria in hisce requiritur; lex fundamentalis sola rem definivit.

§ 19. In superiori Capite (§ 15) vidimus, leges caeteraque juris placita, sub veteri lege fundamentali emissa, valere post

1) In oratione habita in Camera Prima Ordd. Gen. eandem professus est sententiam vir gr. VAN RAPPAARD, apud VOORDEIN, l. l. ad art. 3 add., p. 527.

legis novae fundamentalis promulgationem in iis capitibus, in quibus lex illa nova requirit leges speciales ordinatorias, usque ad temporis momentum, quo illae leges speciales promulgantur. Vidimus, constitutiones illas usque ad hoc temporis momentum valere, et non nisi *novâ lege* abrogari posse.

Haecce cum indistincte omnia legis fundamentalis placita spectent, quoque valeant necesse est de juribus atque officiis ad imperii actus ex ea lege necessariis. Atque ita, si ea ad materiem subjectam applicemus, Ministri Regis quidem ex art. 53 novae legis fund. de gestis suis *respondent* (ut vocabulo in hocce argumento legitimo utar); verum cum, secundum art. 73 § 3 ejusdem legis, de hacce materiâ lex adhuc ferenda sit, usque ad eam legem promulgatam, Ministri Regis non alio modo tenentur ac si lex fundamentalis vetus mutata non fuisset. Tenentur ergo etiamnum ex artt. 75—77 veteris legis fund. (1). Ita constitutiones de promovendis, dimittendis et rude donandis praefectis militariibus, uti et de quantitate stipendii iis relinquendi qui officio defuncti sunt, quatenus exstant legitime secundum veterem legem fundamentalem, vim retinent usque ad illud tempus quo haecce speciali quâdam lege, secundum art. 58 novae legis fund. erunt ordinata. Pariter constitutio Imperii in Coloniis et et possessionibus in aliis orbis terrarum partibus, uti et ordinatio ibi de monetâ, reguntur constitutionibus et statutis, quae hactenus ibi legitime exstant; per novam legem, cujus mentio est in art. 59 § 2 et 3 novae legis fund., demum abrogantur. Idem valet de administrandâ re pecuniariâ, et de rationibus publicis reddendis de aerario colonialium, ex art. 60 § 2 novae legis fund.

1) Vid. cs. B. ALBARDA, *Nederland en de Ministers*. Leuw. 1850. — Legis specialis conceptum, ex qua tenerentur Ministri Camerae Secundae Ordd. Gen. oblatum fuit die 8 Martii 1849, sed retractatum die 24 Maii 1849. (*Bijbl. tot de St. Cour.* p. 229, 550).

Idem dicendum est de constitutionibus generalibus circa administrationem publicam internam (algemeene maatregelen van inwendig bestuur van den Staat) (1), quae, etiamnum futurae, ex art. 117 novae legis fund., promulgandae sunt et vim obligatoriam sunt habiturae secundum regulas, in speciali lege ponendas.

Hactenus in legum nostrarum publicâ collectione (Staatsblad) illae Constitutiones Principis tantum inserebantur, circa quas ejusmodi publicatio necessaria aut utilis habebatur (2). De *legum* scilicet, non vero de *constitutionum* promulgatione loquuntur art. 1 et 2 Dispositionum juris nostri Generalium (3). Quaestio igitur moveri posset, quomodo constitutiones promulgandae sint, et quando vim obligatoriam nanciscantur usque ad legem illam specialem, per art. 117 novae legis fund. requisitam? Valent ea quae usque ad illud temporis momentum juris fuerunt, et igitur praesens rei conditio: voluntas Regia de promulgatione, et Ipsius dispositio in ipsâ constitutione circa tempus inde a quo obligatoria sit dispositio generalis circa administrationem internam (4).

Permulta exempla hisce addi possent. Eorum tamen mentio expressa parum proficeret. Omnes enim quaestiones hujus generis uno eodemque principio solvuntur, scilicet: leges caeteraque placita circa jura et officia ad Imperii actus ne-

1) Quid hacce dictione intelligatur, vid. apud VOORDUIN, l. l. ad art. 71 et 72. VIII. p. 183. XVI. p. 189; ad artt. 117 et 118. I. p. 272. — Cf. VAN HOGENDORP, l. l. IX. p. 217 sqq. THORBECKE, l. l. I. p. 180—183.

2) *Besluit betrekkelijk de daarstelling van een Staatsbl. der Vereenigde Nederlanden*, diei 18 Dec. 1813. S. B. 1814, no. 1, a. 2. Cf. VAN HOGENDORP, l. l. IX. p. 227, 228; THORBECKE, l. l. I. p. 322.

3) Cf. *Aanteekeningen op de Wet houdende Alg. Bepalingen*, door Mr. C. W. OPZOOMER. Leyd. en Amst. 1849. p. 12 sq. Cf. MAILHER DE CHASSAT, l. l. I. p. 51 seqq.

4) Vidd. inter alia, Decretum diei 8 Febr. 1849, S. B. no. 6, art. 14; Decretum diei 15 Sept. 1849, S. B. no. 44.

cessaria, sub veteri lege fundamentali emissa, salva esse atque integra usquedum per novas leges speciales ex novae legis fundamentalis praescripto ferendas, abrogantur.

§ 20. Per intermedium autem illud tempus, uti supra (§ 16) in universum jam diximus, ea veteris legis fundamentalis placita, caeteraeque leges atque decreta cum eâ connexa, nisi per *legem specialem*, ex ipsius novae legis fundamentalis vi et efficacia, mutari possunt. In iis tamen, de quibus in hocce Capite agimus, duo sunt attendenda, quae hujus regulae, veluti exceptiones sunt habenda.

1°. Praeter constitutionem Imperii et rem monetalem in Coloniis (utraque ex art. 59 § 2 et § 3 novae legis fund. per legem ordinanda), adsunt et aliae res quae Colonias spectant, et quae ex art. 59 § 4 ejusdem legis, *lege ordinandae* sunt; non vero derepente, sed *simulatque illud expedire videtur*. Lex nova fundamentalis in hisce non *absolute* ordinationem per *legem* requirit. Illae res igitur interea reguntur propria Summi Imperantis auctoritate; non exemptae sunt a regimine per constitutiones Principis, quod dictum fuit Besluiten-regering. Ergo non tantum etiam deinceps haec negotia per constitutiones ordinantur, quae exstabant tempore quo nova lex fundamentalis promulgata fuit, sed et interea novis constitutionibus aliter constitui possunt. In hisce rebus igitur non valet quod de ceteris hujusmodi placitis (supra § 16, pag. 40—43) diximus, ea scilicet intacta manere, nec *constitutione* abrogari aut mutari posse, sed *solâ lege* esse abroganda.

2°. Pariter, ex art. 167 § 2 novae legis fund., salva manent leges caeteraeque placita, per quae cultus divini exercitio publica, quibusdam in locis *extra* aedificia et loca clausa (besloten plaatsen) permittitur. In iis locis ergo valent, in favorem universitatis religiosae (kerkgenootschap), illa

placita quae nunc adsunt(1), et quidem valent, non *usque ad legem quandam specialem ferendam*, sed *in perpetuum*. Nullâ lege abrogari aut jura illa in posterum auferri possunt; tantummodo, mutatâ ipsâ lege fundamentali in hocce articulo, ipsorum placitorum dispositionibus derogari posset.

Hactenus ea tantum in hocce Capite attendimus, in quibus quaestiones de lege veteri aut novâ applicandâ, obtinere possunt. Non locuti sumus de iis, in quibus sine ullo dubio, sine ullâ exceptione valet summum illud principium: *leges futuris tantum dare formam negotiis*. Intelligimus ea negotia, quae tempore quo promulgabatur nova lex fundamentalis, objectum juris non erant, sed circa quae illa lex dispositionem aliquam habet, quae valebit eo temporis momento, quo istiusmodi negotia obveniunt. Negotia illa, vero sensu, *futura* sunt dicenda; dirimenda sunt occasione facti alicujus, quod post legis novae promulgationem locum habet, et in quod igitur nullo modo vetus lex applicari potest. Tempore quo factum obveniet, vetus illa lex jam abrogata erit; de ipsius applicatione ergo sermo esse non poterit.

Talia negotia habentur in lege ferendâ de tutelâ Regis (art. 36 novae legis fund.), de Interrege (art. 41 ib.), de defectu successoris haereditarii in Regiam potestatem (art. 23 et 24 ib.). Huc etiam referri possunt ea quae lex nova fundamentalis constituit de jurejurando praestando ante administrationem susceptam (art. 38, 45, 47, 51, 52, 83, 125 ib.); de formulis, quae praescribuntur negotiis, post novae legis promulgationem peragendis (art. 108, 109, 111, 112, 114 ib.); pacta cum aliis gentibus conventa, perinde utrum tempore belli an vero tempore pacis contrahantur, ex art. 57 § 3 novae legis

1) Quae vide apud VOORDEIN, I. I. ad art. 167, p. 397, 398.

fund. *lege* confirmanda; amnestia et abolitio, lege speciali concedendae (art. 66 § 3 ib.); lex quae regit in quocunque casu sequelas negotiorum, si decreta ab Ordinibus Provincialibus et Collegiis Communalibus emissa, a Rege irrita redduntur aut suspenduntur (artt. 133 et 140 ib.); verba, quibus *leges* promulgantur (art. 116 ib.), multaque hujus generis alia.

Missis ergo hisce omnibus, nonnulla tamen inquirenda remanent; in iis nempe, quae spectant jura et officia ad actus Imperii necessaria, etiam cogitanda sunt *negotia pendencia*.

Fieri enim potest, ut v. c. jus dispensationis Rex adhibere velit ex libello supplicis, Ipsi oblato ante novae legis fundamentalis promulgationem. Quaeritur, utrum lex vetus fundamentalis valeat, quâ vigente libellum supplicem acceperit Rex et consilium a magistratu petierit, immo et sententiam suam tulerit Consilium Status, ex art. 67 veteris legis fund. audiendum, — an vero nova lex fundamentalis, qua vigente dispositio ipsa a Rege emittitur? Vetus scilicet lex fundamentalis, in articulo citato, Ipsi tantum dispensationem edendi facultatem tribuebat, si Camerae Ordinum Generalium non adessent, dum art. 67 novae legis fund. Regi hanc facultatem tribuit nonnisi in casu *lege* expresso.

Respondendum videtur, novam legem fundamentalem in eo esse observandam. Lex nova enim statim valet inde ab ipsius promulgatione, perinde utrum negotium per libellum supplicem vel per sententiam a Consilii Status emissam, sub veteri lege *inchoatum* dici possit. De jure quaesito enim aliquo, quod natum supplicanti diceretur simulac libellum obtulerat, sermo esse non potest. Jus dispensationis nittitur unice *lege fundamentali*, quae jus illud Regi tribuit. Si ergo Rex, ante novam illam legem promulgatam, ex libello supplicis dispensationem nondum dederit, post legis dictae promulgationem, eam amplius dare non potest, nisi in casu,

novâ lege fundamentali expresso. Jura legalia enim una cum lege quâ nituntur, nascuntur et evanescunt.

Nova lex fundamentalis, in artt. 68 et 132, distinxit inter controversias *quae administrationem spectant*, atque eas quae sunt alius generis. Posteriores, ex dictâ lege, non a Rege decidendae sunt, sed, ut videtur, ad judicem referendae. In lege speciali de controversiis circa competentiam, de qua loquitur art. 150 § 2 novae legis fund., ulteriora circa hanc rem statuenda sunt. Quaeritur vero, an illa distinctio in lege novâ fundamentali noviter introducta (1), etiam observanda sit circa omnes omnino controversias quae ipsae ortae fuerant, et quarum objectum natum jam erat ante legis novae promulgationem, quaeque temporis puncto quo promulgabatur illa lex, jam ad Regem sive ad Ordines Provinciales dirimendi causâ delatae fuerant?

Observanda videtur distinctio circa tempus quo ipsa decisio est ferenda. Igitur in hisce valet lex nova fundamentalis. Si *administrationem* spectat controversia, Rex ipsam dirimit; — si contra in eâ agitur *de meo et tuo*, ex mente Decreti diei 20 Maii a. 1844, S. B. n°. 25 (2), partes referuntur ad judicem, qui hac de re cognoscere per leges debet. Verbo: res non regitur (pariter atque de dispensationibus concedendis diximus) lege quo initium cepit illa controversia, sed lege istius temporis quo finem habet.

Eadem plane dicenda sunt circa rationes de redditibus et impensis civitatis reddendas, easque comprobandas, de quibus agitur in artt. 122 novae legis fund. Sic rationes de redditibus et impensis sub veteri lege constitutae atque ac

1) Articulum 68 veteris legis fund. latiori sensu interpretatur VAN HOGENDORP, l. l. VIII. p. 305; strictiori sensu THORBECKE, l. l. I. p. 166, 167. Cf. l. l. II. p. 104, 105.

2) Cf. VOORDUIN, l. l. ad art. 150. I et VI. pp. 366, 369.

ceptae aut solutae, communicandae sunt cum potestate legislatoriâ et ab eâ comprobandae per *legem*, licet ex art. 126 veteris legis fund., probatio sufficeret Collegii quod rationibus publicis reddendis praeest (Rekenkamer) (1).

In lege nova fundamentali duo jura Ordinibus Generalibus noviter sunt concessa: *jus interpellationis* dico, atque *jus inquisitionis* (*enquête*), hoc concessum Camerae Secundae, illud utrique Camerae.

Jus interpellationis ulteriori lege non indiget. Forma atque tempus opportunum quidem placito reguntur quod Camerae sibi constituunt (Reglement van Orde) (2); sed etiam sine tali ordinatione socii utriusque Camerae hocce jure uti potuissent statim inde a nova lege fundamentali promulgata. Ita etiam hoc jure uti potuissent socii Camerarum, quae exstabant inde a die 3^o Novembris 1848, usque ad diem quo novae Camerae inauguratae sunt.

1) In memoria quae dicitur: *Memorie van beantwoording der verslagen der Commissie van Rapporteurs voor de begrooting van 1850*, (*Bijbl. tot de St. Cour.* p. 109) contra hancce sententiam attulerunt Ministri, ita jus laedi, quod Ministri haberent, se comprobatione Collegii rationibus reddendis plane liberatos esse («het staat vast, dat de vercevening der uitgaven en de goedmaking der ontvangsten door de Algemeene Rekenkamer, tot volkomen *décharge* verstrekken aan de Ministers»). Quum vero illud jus mere sit legale (uti saepius jam monuimus), una cum veteri lege fund. cecidit. Quod ad omnes rationes ergo, quae jam probatae non erant, jus illud valere amplius non potuit. Recte igitur censuerunt delegati in Camera Secunda, articulum 122 novae legis fund. jam statim adhibendum esse, ita ut rationes inde ab anno 1845 iis, comprobandi causa, offerendae essent. *Verslag op de Begrootingswetten van 27 Nov. 1849.* (*Bijbl. tot de Stc.* p. 78).

2) Exemplum est in interpellatione ab ampliss. GROEN VAN PRINSTERER, die 23 Julii 1849, uti et a viro nob. DOMMER VAN FOLDERSVELD, die 27 Julii 1849 (*Weekbl. van het Regt*, no. 1038).

Jus inquisitionis contra expectat etiamnum legem ordinatoriam. Eo jure igitur uti non poterit Camera Secunda ante illam legem promulgatam (1).

De utroque jure eadem quaestio proponi potest, scilicet num ea jura exerceri possint circa omnia omnino negotia, nova ac vetera, ante vel post legis fundamentalis vel legis specialis promulgationem nata atque acta, — an vero num illa jura tantummodo valeant circa ea negotia, quae reguntur lege novâ fundamentali vel lege quâdam speciali, secundum ipsam novam legem fundamentalem ferendâ?

Prius affirmandum videtur (2); utrumque jus enim est *mere legale*, fundamentum habet in solâ lege fundamentali, una cum eâ utrumque jus natum est, — exercitium juris inquisitionis in lege ordinatoriâ perlatâ. Utrumque jus porro est adminiculum valens in negotiis peragendis, remedium quo tecta deteguntur, obscura elucescunt, ut igitur deliberationes ad finem desideratum perducantur. Natura igitur rei docet, aequae atque juris principia (3), usum utriusque juris non restringi ad ea quae pendent aut sunt posterioris temporis. Saepissime enim notitia longe ante actorum ad rem praesentem bene judicandam pernecessaria esse potest.

Principium juris: *legem futura tantum spectare*, sine

1) Idem censuit vir nob. B. W. A. E. SLOET TOT OLDHUIS, *Nota op het verslag op de begrooting van 1850, van 30 Nov. 1849, (Bijbl. tot de St. p. 98).*

2) Inde a die promulgationis novae legis ergo vim habere desierunt Besl. 8 Junij 1820 (VAN HOGENDORP, l. l. V. 70). Besl. 20 Jan. 1830. Besl. 17 Maart 1841. Cf. THORBECKE, l. l. I. p. 253.

3) In jure criminali etiam habemus exemplum placiti, quod, cum ex suâ naturâ spectet praeterita, in dubium vocari non potest, quin novâ lege introductâ statim etiam valeat, ubi de praeteritis sermo est. Art. 139. W. Strafv. valeret etiam de iis quae ante diem 1^m Octobris 1838 obtinuerant.

ulla restrictione, inde a novae legis fundamentalis promulgatione, valet in omnibus illis, quae illa lex ipsa noviter constituit et quorum ordinatio mandata non fuit legi cuidam speciali. In hisce non obstat jus quaesitum quodcunque; peracta atque absoluta tamen manent intacta.

In art. 32 veteris legis fund. Principibus Regiis, maribus atque feminis, concessum fuerat privilegium quo eximebantur a solutione quorundam vectigalium. Illud privilegium articulus 29 novae legis restrinxit ad Regem Ipsum et Principem Arausiacum. Inde a lege novâ promulgatâ valet haecce restrictio; jura quaesita non laeduntur, sed jus aliquod mere legale, id est quod solâ lege nitebatur, una cum ipsâ lege abrogatum est.

Idem dicendum est de commeatu sociorum Camerae Secundae Ordinum Generalium. Inde a die quo nova lex fundamentalis promulgata est, commeatus iis per art. 88 § 2 veteris legis fund. concessus, desiit ipsis deberi, et valuit art. 85 § 2 novae legis fund. (1).

Legem ulteriorem non requirit nova lex fundamentalis, ubi in artt. 91 et 124 agit de exclusionem delegatorum utriusque Camerae Ordinum Generalium. Igitur, inde a promulgatâ novâ lege, illi articuli valent, et omnia vetera placita in quibus mutationes constituerunt, abrogata sunt habenda.

Circa art. 124 cit. tamen difficultatem hic praebere posset articulus 4 b Constitutionis dictae: Reglement omtrent de zamenstelling der Staten, diei 30 Maii a. 1825, quae Constitutio etiamnum viget per art. 3 add. novae legis fund. Hicce art. 4 b cit. scilicet prohibebat, quominus socii Ordinum Provincialium simul munere Delegati in quâlibet Camerâ Ordinum Generalium fungi possent.

1) Itineris et meatûs impensae utriusque Camerae Ordd. Gen. delegatorum ordinatae sunt lege diei 26 Maii 1849, S. B. n^o. 17.

Quod ad socios Camerae Primae, per art. 124 novae legis fund. non abrogatus est art. 4 *b* Constitutionis de Ordinibus Provincialibus mox laudatae, quippe legi fundamentali novae non contrarius. Art. 124 enim expressis verbis, et quidem optima ratione (1), exclusionem e solâ Camera *Primâ* retinuit. Inde a die 3 Nov. 1848 igitur, pariter atque ante hocce temporis momentum, Camerae *Primae* et simul Ordinum Provincialium socius aliquis esse non potuit.

Quod ad socios Secundae Camerae attinet, circa eos articulus 4 *b* citatus, pariter atque art. 95 veteris legis fund. quo nitebatur, suam vim amisit articulo 124 legis novae fund., ita ut hodie socius illius Camerae simul socius Ordinum Provincialium legitime esse possit (2). Atque illud non tantum valet de delegatis Ordinum Generalium, electis secundum legem provisoriam de electione, aut secundum leges de electione etiamnum ferendas, sed et valuit de delegatis Ordinum Generalium, uti Camera die 3^o Nov. anni 1848 constituta erat. Nullo pacto obstat, socios illos electos fuisse vigente lege veteri, in quâ supra dicta exclusio habebatur.

Pari ratione articulus 128 valuit circa ordinem in deliberando. Ex hocce praecepto enim Ordines Provinciales, inde a lege novâ promulgatâ, observant ea, quae hac de re apud Ordines Generales obtinent ex artt. 100—102 novae legis fund.

1) Cf. VOORDUIN, l. l. I. ad art. 124 p. 307.

2) Contrariam sententiam tuiti sunt Ordines Provinciales Gelriae et Groningae, judicantes, articulum 4 *b* Constitutionis laudatae per 3 add. novae legis fund. etiam hocce die valere (*Weekbl. van het Regt* n^o. 1033). Contra, in Camera Secunda, cum ageretur de admittendo viro plurimum venerando VAN HOEVELL, de exclusionibus ex ipsa lege fundamentalis nova, art. 91 sancitis, quidem disputatum est, nullo modo tamen dubitatum fuit, utrum illae exclusiones hodie jam plenam suam auctoritatem exercere possint (vid. *Weekbl. van het Regt* n^o. 1070, 1096).

Supra enim jam vidimus (§ 15) juris placita sub veteri lege fundamentali emissa vim legis retinere vigente lege novâ, licet cum ipsius principiis non consentanea, atque valere usque ad novas leges speciales ferendas, quae in lege novâ fundamentali requiruntur; simul tamen vidimus (§ 16), exceptionem esse in iis quae specialiter ab *ipsâ novâ lege fundamentali* sunt ordinata, quippe quae, dum ulteriori dispositione non indigent, abrogant antiquorum placitorum quaedam particula. Haecce novae legis fundamentalis placita igitur valent statim inde ab ipsius novae legis promulgatione, dum in ceteris, speciali lege etiamnum ordinandis, interea observanda manent veteris legis fundamentalis aliaque cum eâ connexa placita.

Et haecce omnimodo valent, atque ita legis novae fundamentalis placita inde ab ipsius legis promulgatione sunt observanda tum circa ea quae veteribus placitis non adversantur, tum circa ea quae, quippe contraria legis novae principiis, per abrogationem legis veteris, desierunt vim legis habere.

Statim igitur jam valuit articulus 144 novae legis fund. Collegia communitaria scilicet, inde a legis novae promulgatione, etiam apud *Ordines Generales* (qui non nominabantur in art. 158 veteris legis fund.) commoda suae Communitatis ipsiusque civium promovere possunt (1), licet socii in Collegiis illis, per art. 139 novae legis fund., etiamnum a civibus electi non sint.

Plane idem hic respondendum circa articulos 96 et 126 § 2; publice deliberandum ergo fuit in Camera Prima Ordinum Generalium et in Collegio Ordinum Provincialium, inde a die novae legis promulgatae. Quod vero ad Colle-

1) Vid. VAN HOGENDORP, l. l. VIII. p. 305, 306, 323, 324. Cf. THORBECKE, l. l. II. p. 139 coll. p. 109—112.

gia Communalia attinet, res mandata est legi Commuali, quam requirit art. 138 novae legis fund.; ergo usque ad hanc legem promulgatam, deliberationes in hisce collegiis *publice* non sunt habendae.

Inter jura denique quae noviter Regi concessa sunt, primum obtinet locum jus dimittendi utramque Cameram. Nulla ulteriori lege illud jus est ordinandum. Pariter atque omnia ea, de quibus hactenus egimus, articulus 70 applicari poterat inde a die 3^o Novembris 1848. Non tantum ergo dimitti possent Camerae constitutae secundum legem novam, sed etiam eae quae secundum legem veterem fuerant constitutae. — Nec obstat art. 1 legis provisoriae de electione. Ibi enim non derogatur, per intermedium tempus, juri quod in art. 70 novae legis fund. concessum fuerat Regi, sed agitur in hocce articulo de dissolutione Camerae utriusque, quae *vi legis*, et igitur alio modo quam dimissione per Regem, locum haberet. Collegia illa quidem usque ad hocce temporis momentum legitime subsistebant, sed lex non requirebat ut ea, die inaugurationis novarum Camerarum (13 Februarii 1849), iisdem sociis constarent, qui eorum participes fuerant die quo promulgata fuit lex nova fundamentalis (3^o Nov. 1848).

CAPUT III. JURA ATQUE OFFICIA CIVIUM.

§ 21. Nullo nomine tot atque tantas mutationes subiit lex fundamentalis Nederlandica, quam circa jura et officia civium. In eo dici possit universe constituisse rerum conversio anni 1848. Civibus tributa vis et efficacia in rem publicam, ita fundamentum evasit regiminis nostrae formae. Alia autem sunt generalia, alia magis specialiora jura.

Ita magnum civibus praesidium in eo est, quod permulta (quae in § 17 jam attigimus) in posterum non pro arbitrio Regis ordinanda sint, sed per *legem*, emissam a legislatoriâ potestate, quae magnâ pro parte (uti § 13 vidimus) constituitur civium electione. Huc referendum porro legis novae fundamentalis praeceptum, in Camerâ Primâ, apud Ordines Provinciales, et, ex probabili mente legislatoris, etiam apud Collegia Communalia, *publicam* de rebus publicis esse habendam deliberationem. Plurima praeterea praesidia circa aerarium publicum noviter sunt constituta: transcriptiones qualescunque *solâ lege* concedendae; vectigalia provincialia non nisi *per legem* constituenda, communalia secundum praecepta *legis*; de conceptis reddituum et impensarum communalium regulae in *lege* constituendae; per *legem* ordinanda administratio et rationum redditio de aerario Coloniali, aequae ac de aerario publico Nederlandico (1).

Quod ad civium participationem atque vim et efficaciam circa rem publicam, primario memorandum est jus suffragiorum. Electio civibus data est delegatorum in Cameram Secundam *directa*, et in Cameram Primam *indirecta* per Ordines Provinciales, a civibus ipsis nominatos; tandem electio Curialium ipsis civibus mandata (2).

De permultis ex hisce jam egimus, cum in Capite I hujus Partis videbamus de Regiminis forma atque Regni compositione, vel cum in Capite praecedenti tractabamus jura atque officia ad Imperii actus necessaria. Illis locis vero de juribus civium vidimus, quod ad effectus quos pariunt: jam videndum de iis ratione ipsorum civium. Dicendum ergo in hocce Capite speciatim de qualitate Nederlandi tuendâ, nanciscendâ, amittendâ, per novam legem

1) Vid. supra §§ 13, 14, 17, 18, 20.

2) Vid. supra §§ 13, 14.

fundamentalem, speciali etiamnum lege ordinandâ (1); de facultate electionis faciendae, quam habent Nederlandi, et de facultate quae requiritur, ut quis eligi possit, missâ distinctione, ex veteri lege fundamentali, ratione ipsorum Nederlandorum, observandâ (2).

Ad jura civium sanctissima, omnibus Nederlandiae incolis sancita, in novâ lege fundamentali aequè atque in lege veteri recepta, referendum est dominium privatum, non tantum quod ad bona, sed et quod ad epistolarum jus, novâ lege accuratius servatum (3); sanctitas domûs, in utrâque lege cauta, nonnisi ex *lege* circumscribenda (4); sanctitas bonorum et personarum in utrâque lege indistincte expressa, in novâ lege tamen circa peregrinos restricta, quoad per salutem publicam fieri possit (5); omnium jurium civilium, et in novâ lege quoque jurium *politicorum* tutela *judici* mandata; sui iudices lege cuiuspiam assecurati (6); praesi-

1) Cf. art. 7 § 1 novae legis fund. cum artt. 9, 10 veteris legis fund. Cf. VAN HOGENDORP, l. l. VIII. p. 399. THORBECKE l. l. I. p. 46—50.

2) Cf. art. 6 novae legis fund. cum artt. 6, 7 et 8 veteris legis fund. Cf. VAN HOGENDORP, l. l. VIII. p. 218 sqq., 353. THORBECKE, l. l. I. p. 29, 37 coll. p. 51, 52, et in opere: *Over het hedendaagsche Staatsburgerschap* (Ned. Jaarb. VI. p. 369—383).

3) Cf. artt. 147 § 1 et 154 novae legis fund. cum art. 162 § 1 veteris legis fund. — Vid. art. 155 novae legis fund. et art. 169 veteris legis fund. Cf. THORBECKE, l. l. II. p. 147—151, 167.

4) Vid. art. 153 novae legis fund. et art. 168 veteris legis fund. Cf. THORBECKE, l. l. II. p. 166.

5) Cf. art. 3 novae legis fund. cum art. 4 veteris legis fund. Vid. VAN HOGENDORP, l. l. VIII. p. 225, 399. THORBECKE, l. l. I. p. 15—23; II. p. 167. Cf. insuper artt. 151, 152 novae legis fund. cum artt. 166, 167 veteris legis fund. — Vid. THORBECKE, l. l. II. p. 162—165.

6) Cf. artt. 148, 149, 150 novae legis fund. cum artt. 163, 164, 165 veteris legis fund. Vid. VAN HOGENDORP, l. l. VIII. p. 332 seq. THORBECKE, l. l. II. p. 155—165.

dia circa legum applicationem (1), quae, ex ipsius novae legis fundamentalis verbis, inviolabiles sunt servandae (2).

Tandem hic quoque incolarum juribus in utraque lege sancitis, adnumeranda libertas preli (3), jus petitionis, in novâ lege accuratius definitum (4). — Noviter insuper concessum fuit incolis jus conveniendi et associationis (5); noviter et ipsa nova lex fundamentalis incolis jus sancivit, ut per totum Regnum a Summo Imperio institutio publica instituaturs; libertas docendi omnibus expresse concessa (6).

Juribus hisce opponas et officia, inter quae primario ipsa lex nova fundamentalis collocavit officium armatam militiam ab incolis obeundi (7), idque aliis iisque magis onerosis conditionibus quam sub veteri lege (8).

§ 22. Inter jura et officia civium (sicuti vidimus § superiori) nonnulla sunt, longe alio modo per leges speciales ordi-

1) Vidd. art. 162 novae legis fund. et art. 178 veteris legis fund.

2) Vid. art. 115 § 2 novae legis fund. Cf. Cons. w. A. C. DE JONGE, in opere *Themis* X. III. p. 363 sqq. VOORDUIN, l. l. p. 269—272.

3) Vid. art. 8 novae legis fund.; art. 225 veteris legis fund. Cf. VAN HOGENDORP, l. l. VIII. p. 377. THORBECKE, II. p. 297—300. *De Nederlandsche drukpers naar den wettelijken zin des woords beschouwd, etc.* Brussel 1829 (*Bijdr. tot Regtsg. en Wetg.* IV. no. 3. p. 473 seqq.).

4) Vidd. art. 9 novae legis fund. art. 159 veteris legis fund. — Cf. VAN HOGENDORP, l. l. VIII. p. 291, 306. THORBECKE, l. l. II. p. 140—144.

5) Vid. art. 10 novae legis fund.

6) Cf. art. 194 novae legis fund. cum art. 224 veteris legis fund. Cf. VAN HOGENDORP, l. l. VIII. p. 377 seqq. THORBECKE, l. l. II. p. 296, 297. VOORDUIN, l. l. p. 481—502.

7) Vidd. *Koninkl. Besluit van 25 Junij 1817 (Bijv. tot het S. B. 1817, II. p. 852 seqq.; Wet van 27 April 1820 S. B. no. 11. Cf. Wet van 11 April 1827 S. B. no. 17, art. 2.*

8) Cf. art. 177—186, 188, 189 novae legis fund. cum artt. 201—209, 211, 212 veteris legis fund. Cf. VAN HOGENDORP, l. l. VIII. p. 113, 362—364, 401. THORBECKE, l. l. II. p. 245 sq. VOORDUIN, l. l. p. 424—427.

natorias, etiamnum ferendas, constituenda ex lege novâ, quam ex lege veteri fundamentali. Quae tamen sub lege veteri constituta sunt atque absoluta, salva manent sub lege novâ, licet contraria legis novae praeceptis. Ea enim quae legitime acquisita sunt sub lege veteri, plenum suum effectum habent sub lege novâ.

Ita, qui ex lege fundamentali veteri Nederlandus civis fuerit factus per art. 9 veteris legis fund., plenum jus nativitatis habet, adeo ut nominari possit ad omnia omnino munera, etiam sub lege novâ fundamentali, licet art. 7 § 2 novae legis fund. ad id ut peregrinus inter cives referatur, *legem* requirat. Ita in veteri lege fundamentali, ex art. 10, et in placitis quae in hocce articulo fundamentum habebant, saepius requirebatur, ut quis in ipsâ Civitate esset natus; dum illi qui ex art. 9 civitate donati fuerant per litteras regias (*brieven van naturalisatie*), licet peregrini ex nativitate, habebantur tamquam nati Nederlandici. Fictio juris in eo veritati similis est (1).

Eodem modo illud jus ex litteris regiis quaesitum retinent atque exercent sub lege nova fundamentali (2). Habentur cives Nederlandici non tantum universe, sed et cives Nederlandici *nati*. Si igitur in quâdam lege ordinatoriâ, ex nova lege fundamentali ferendâ, peregrinis minora jura

1) Cf. THORBECKE, l. l. I. p. 47.

2) Vid. MAILLIER DE CHASSAT: «La qualité de règnicole conférée par »la naturalisation,» inquit, »est le résultat d'un contrat. Cependant »elle n'est pas autrement irrévocable que la première (la qualité de »règnicole acquise par le fait de la naissance), car elles assurent l'une »et l'autre au même degré à l'individu qui en est revêtu, ses droits »naturels, la liberté, la sûreté, la propriété.... Dans le second cas »(la naturalisation) ce résultat est le fruit d'un contrat, qui lui même »tire toute son autorité de la loi; mais dans les deux cas ils sont également irrévocables; et il n'est plus au pouvoir de la loi de ravir à »ceux qu'elle a gratifiés, ce qu'ils tiennent d'elle." Opus l. I. p. 204.

darentur quam ipsis Nederlandis natis, peregrini per litteras regias ex articulo 9 veteris legis fund. civitatē donati, in posterum tamen iisdem juribus fruuntur atque illi, qui in territorio Nederlandico nascuntur. Lex specialis ex lege fundamentali novā ferenda igitur non applicanda erit ad eos, qui ex articulo 9 veteris legis fund. jam civitate donati fuerant. Illi enim habent jus quod firmum integrumque manet; lex illa futura tantum eos spectare potest, qui, lege ex art. 7 § 2 novae legis fund. ferendā, jus civitatis nanciscuntur. Quidquid autem juris sit de civitate per litteras Regias cum peregrinis communicatā post temporis lapsum in art. 9 veteris legis fund. praescriptum, illud sine dubio constat, post legis novae fundamentalis promulgationem peregrinos civitate donari non posse nisi *per legem*, et ideo irritam esse omnem ejusmodi civitatis per litteras regias donationem inde a die 3^o Nov. 1848 *sine lege* datam. In hoc casu non adsunt ea jura quaesita, de quibus in hisce sermo est; jus Regis ex art. 9 cit. erat jus *mere legale*.

Idem prorsus dicendum de iis, quibus jure gratiae poena remissa est, vel qui in amnestiā comprehensi fuerunt, uti et de iis, in quorum favorem abolitio (1) aut dispensatio a legis praeceptis a Rege data fuerit ex placitis legis fundamentalis veteris. Haec omnia si facta legitime fuerint (2), vi hujus veteris legis effectus suos habent etiam sub lege novā, licet lex nova alia eaque graviora praesidia, aliamque formam ad haec negotia peragenda requirat.

1) Jus abolitionis concedendae Principi dedit art. 49 legis fundamentalis anni 1814, non vero art. 67 L. F. 1815 et 66 L. F. 1840, qui posteriores igitur jus abolitionis non continebant. Cf. THORBECKE l. l. I. p. 157—160.

2) Cf. *Besluit van den Souvereinen Vorst, van 25 Junij 1814, houdende een generaal pardon voor de deserteurs der landmagt*. S. B. no. 71. Kon. *Besluit van 28 November 1840, betreffende het verleenen van een generaal pardon*. S. B. no. 74.

Pari modo jura intacta manent, comparata ex decisione Regis per artt. 68 et 146 veteris legis fund. emissâ, licet Rex sub novâ lege fundamentali de ipsâ controversiâ cognoscere, per artt. 68 et 132 novae legis fund., non posset, quippe quae non spectaret *administrationem*, sed *meum et tuum*.

§ 23. Saepius vidimus, leges atque constitutiones sub veteri lege fundamentali emissas, etiam sub lege novâ valere in iis, quae per legem fundamentalem speciali lege adhuc ordinanda sunt, usque ad temporis momentum quo leges illae speciales promulgantur. Illud etiam obtinet in permultis negotiis circa jura et officia civium. Nonnulla exempla sunt afferenda.

Secundum artt. 6 et 7 novae legis fund. omnis Nederlandus omni omnino munere fungi potest, peregrinus autem nonnisi secundum legem specialem hac de re ferendam; — lex declarat, quinam habendi sint Nederlandi. Quod ad peregrinos, sine ullo dubio, usque ad legem illam specialem, quam requirit art. 6 § 2 novae legis fund., valet lex vetus, quae eos ab omni omnino munere publico arcet (1). Quod ad Nederlandos, disputari potest.

In deliberationibus de sensu articuli 7 § 1 novae legis fund., scilicet dictum fuit, legem de qua loquitur hicce articulus, esse *Codicem Civilem*, ideoque novam legem specialem non requiri (2). Firmari hacce sententia possit eo,

1) Vidd. artt. 7, 8 veteris legis fund.; THORBECKE, l. I. I. p. 52, 54. Cf. tamen *Kon. Besluit van 8 Aug. 1822*, n^o. 91. (*Bijv. tot het S. B.* 1822. III. p. 1801); *Dispositiën van den Directeur-Generaal voor de zaken der Hervormde Kerk van 21 Aug.* (*Bijv. tot het S. B.* 1822. II. p. 1000 seq.); 23 Dec. 1822 (*ibid.* p. 1010); 22 Oct. 1825 (*ibid.* 1825. IV. p. 134 seq.).

2) VOORDUIN, l. I. III. p. 98. I, V. p. 100, 102. Cf. libellus supplex oblatas a viro STRUTK. (*Bijbl. tot de St. Cour.* 1843—1849, p. 730, 731).

quod legis fundamentalis principia in hocce capite secutus sit legislator in constituendo Codice Civili. (1) Addendum forsitan, quod in § 6 diximus, principia scilicet juris civilis aequè valere in jure publico. Ex hâcce sententiâ omnes omnino, qui habentur Nederlandi ex Codice Civili, etiam capaces essent omnis omnino muneris publici (landsbediening).

Multa prohibere tamen videntur, quominus hancce sententiam nostram faciamus.

1°. In deliberationibus de art. 7 § 1 novae legis fund. habitis, a parte quidem Summi Imperantis Codex Civilis intellectus fuit esse ea lex specialis, de qua loquitur articulus; haece sententia vero a parte delegatorum (qui alteram potestatis legislatoriae partem constituunt) universe comprobata non fuisse videtur (2). E consensu legislatoriae potestatis igitur non absolute valet ratiocinatio. — 2°. Etiam si consensus istiusmodi adesse haberetur, dubium moveri posset, num ille in hocce casu ad interpretandam legem fundamentalem, immo ad eam amplificandam sufficeret. Hocce loco scilicet non quaeritur de ambiguo quodam verborum contextu explicando, sed de placito quodam, ad quod expressa legislatoris declaratio requiritur. Agitur enim hocce loco quaestio de lege quâdam applicandâ ad objectum, quod lex illa, naturae suae causâ, objectum non habet. Verum quidem est, et legem fundamentalem et Codicem Civilem iisdem principiis niti posse circa quaestionem quinam Nederlandi sunt, quinam pro Nederlandis habendi (3), — usus tamen Codicis Civilis, ut sit habenda lex specialis de qua loquitur art. 7 § 1 novae

1) VOORDUIN, *Gesch. en Beg. der Ned. Wetboeken*. II. ad tit. 2. III. p. 22, ad art. 5 C. C. I. II. p. 24—28.

2) VOORDUIN, *Gesch. en Beg. der Grondw.* ad art. 7.

3) Vid. Cl. H. NIENHUIS, *Akademische Voorlezingen over het Nederlandsch Burgerlijk Regt*. Gron. 1849. I. 1° p. 240. coll. p. V add.

legis fund., requirit expressam in ipso legis contextu legislatoris voluntatem. Quominus enim legis fundamentalis placita e Codice Civili explicentur, imo et amplificentur, prohibet art. 1 Cod. Civ. Ibi enim accurate distinguitur inter jura civilia, et inter jura politica, tantummodo ex lege fundamentali acquirenda, amittenda (1). Eandem distinctionem habent artt. 4, 5 et 148 novae legis fundamentalis. Lex civilis ergo solummodo declarat, quatenus ratione nativitatis requiruntur, ut quis juribus civilibus gaudeat, atque ita, ut haecce placita quoque indicent requisita juribus politicis fruendi, legi speciali opus esse videtur (2). 3^a. Licet in universum verum sit, principia juris civilis eadem esse atque juris publici, tamen (uti § 6 in fine diximus) non indistincte valet, semper regulas juris civilis et juris publici prorsus esse easdem, easque ab uno ad alterum argumentum posse transferri. Ubi enim lex civilis et lex publica idem argumentum tractant, legislator haecce principia intacta habere potest in lege civili, ea restringere potest in lege fundamentali; atque ita, licet principium quod utriusque legi praefuit, idem sit, lex civilis longe diversa continere potest ac lex publica (3).

Ne quis hoc miretur; nam simulatque principia quaedam generalia ex lege civili vel publicâ enucleavit, et ad jus *civile* vel ad jus *publicum* speciatim adaptavit legislator, harum

1) Hisce congrue in deliberationibus Summum quoque Imperium respondit, Codicis Civilis placita tantum spectare jus civile. VOORDUIN, *Gesch. en Beg. der Ned. Wetboeken*, II. ad 8. I et II. p. 33.

2) Ita ampl. THOREBECKE: »De grondwet veroorlooft niet, en art. 1 »van het B. W. verbiedt, de regels omtrent het verkrijgen der civiel- »regtelijke hoedanigheid van Nederlanders, op zijne staatsburgerlijke »hoedanigheid toe te passen. Ten aanzien van deze dient dus eene »andere dan de burgerlijke Wet, art. 8 (legis fund. anni 1840) te ont- »wikkelen.» I. I. I. p. 51, 52.

3) Cff. art. 5 et 6 Cod. Civ. et art. 7 et 8 veteris legis fund.

legum praecepta desierunt *universi juris* principia constituere. Sive ergo in lege civili principia juris universi intacta servata sint, sive ab universi juris principiis recedant legis civilis placita, utilia tamen juri publico, semper lex specialis declarare debet, specialia illa juris *civilis* praecepta etiam in jure *publico* adhibenda esse (1).

Ex hisce constare videtur, legem in art. 7 § 1 novae legis fund. significatam, *non esse Codicem Civilem*, sed *legem specialem*, etiamnum ferendam. Quod ad Nederlandos ergo definiendos, nunc etiam sunt inspicienda ea, quae valebant ante novae legis fundamentalis promulgationem, ratione jurium de quibus in novae legis fund. art. 6 § 1 sermo est.

Sed vel sic tamen cives jam beneficiis utuntur, quae Codex Civilis vel, ex probabili legislatoris mente ex deliberationibus deducendâ, lex specialis iis tribuet. Quamvis enim veteris legis fundamentalis placita (artt. 7 et 8) distinguant inter eos qui *omnibus* muneribus fungi possunt, et illos qui *muneribus in art. 7 indicatis* fungi non possunt, effatum generale articuli 6 § 1 novae legis fund.: *omnis Nederlandus fungi potest omni omnino munere publico*, — hancce distinctionem jam sustulit (2). Haece sententia probatur art. 13 legis provisoriae de electione (Voorloopig Kiesreglement), ubi, ipsis verbis quae leguntur in art. 79 novae legis fund., exponitur quales *Nederlandi* nominari possint Secundae Camerae Ordinum Generalium delegati. Hinc factum, ut illi qui ante novam legem fundamentalem promulgatam ex collegio Ordinum Generalium arcebantur, post eam in eo admissi sint (3).

1) Cf. THORBECKE, I. I. I. p. 43.

2) Cf. cl. NIENHUIS, *Ak. Voorl.* p. V et VI add.

3) Off. deliberationes in Camera Secunda de admissionem inter socios Cs. J. L. M. LECLERCQ, die 9 Febr. 1847. (*Weekbl. van het Regt*, n^o. 781, 782).

Inter alia civium jura, in quibus etiamnunc veteres leges, aliaque placita sunt observanda, adferendum est jus societatem ineundi et conveniendi. Illud jus solemniter in articulo 10 novae legis fund. agnitum est, multis quidem adversantibus. Lex fundamentalis nova ordinationem et circumscriptionem hujus juris, ad quietem publicam servandam, legi speciali mandavit (1). Interea valent ea quae de hâcce materiâ tam in Codice Civili (art. 1690), quam in Codice Poenali (art. 291) habentur (2); et quidem usque ad novam legem specialem quam requirit articulus 10, valebunt, licet menti legis novae fundamentalis contraria; scilicet locus in Codice Napoleontico valebit sane parum convenienter cum principiis toto coelo diversis nostrae novae legis fundamentalis (3).

Institutionem liberam profitetur articulus 194 § 4 novae legis fund.; dum ex § 2 ejusdem articuli ea constituenda sunt per legem specialem ordinatoriam, quae publicam institutionem spectant. Usque ad hanc legem specialem promulgatam, valet igitur lex diei 3 Aprilis 1806, valet Decretum Regis 2 Aug. 1815, valet Decretum 2 Jan. 1842, S. B. n°. 1, caetera quae de institutione primariâ vel de studiis academicis sunt constituta (4). Principium igitur legis fundamentalis novae effectum suo etiamnum caret.

Toparcharum jura atque privilegia (Heerlijke regten), de quibus agitur in art. 4 § 2 add. novae legis fund., ex mente legislatoris tollenda sunt, et igitur, pariter at-

1) Talis lex specialis jam lata fuit die 19 Februarii 1849, sed in Camera Secunda die 16 Maii 1849 suffragia non tulit. Vid. *Bijl. tot de Staatsc.* p. 34, 486.

2) Vid. VOORDUIN, l. I. ad a. 10. XIV. p. 115, 116. XVI. p. 118 coll. ad art. 9. III. p. 105.

3) Cf. *Het regt van vereeniging en vergadering in Nederland*, door Mrs. NOLTHENIUS en PLOOS VAN AMSTEL. Amst. 1849.

4) Vid. *Verzamel. van Wetten en besluiten op het Hooger Onderwijs in de Noord. Prov. van het Koninkr. der Nederl.* Utrecht 1835.

que ea quae in § 1 ipsius articuli memorantur, cessabunt (1). Non statim vero inde a novâ lege fundamentali promulgatâ art. 4 § 2 citatus effectum suum habet, sed demum inde ab eo temporis momento, quo de ipsorum jurium publicatione, et de resarciendo damno inde nato, uti et de Toparcharum indemnitate lex specialis lata erit. Interea igitur privilegia illa valent, ac si lex fundamentalis emendata non esset.

§ 24. Vetera juris placita, quae in lege fundamentali veteri fundamentum habent, circa ea quae lex fundamentalis nova per *legem specialem* ordinanda esse constituit, per intermedium tempus, novo *decreto* mutari non posse, supra (§ 16 et 20) jam ostendimus. Idem dicendum de iis, quae hoc loco attingimus. Exceptio tamen hujus regulae hic memoranda est circa hospitium militare (inkwartiering van het krijgsvolk), et ea quae praeterea in art. 187 § 2 novae legis fund. nominantur. Ex lege fundamentali veteri, art. 210 § 2, omnia omnino in hocce capite regebantur per *constitutiones* (2). Indemnitate civium *constitutionibus* esse ordinandam, itidem dicit art. 187 § 2 novae legis fund. Non tantum constitutiones sub veteri lege fundamentali editae, ergo valent sub novâ lege, secundum expressam legisla-teris voluntatem (art. 187 § 2, art. 3 add. novae legis fund.), sed etiam mutari possunt pro lubitu per novas constitutiones. Specialis enim *lex* in hisce non requiritur, nisi ratione exceptionis pro *tempore belli* (art. 187 § 3 novae legis fund.). Ea igitur quae in praedictis constitutionibus hactenus editis, habentur pro *tempore belli*, non novo *decreto* sed *solâ lege* mutari possunt, atque valent intacta usque ad legem specialem pro hocce casu etiamnum ferendam.

1) Cf. supra p. 50—53.

2) Cf. THORBECKE, I. I. II. p. 266. Idem in *Regtsg. Bijblad* II. p. 1—7. Loci laudati apud VOORDUIN, I. I. p. 458, nota 1.

In jure transitorio quaestio celeberrima est de poenâ persequendâ et applicandâ, vel ex veteri lege sub quâ facinus commissum fuit, — vel ex novâ lege quâ vigente judicium de eo est ferendum, vel poena adplicanda (1).

In jure publico nostro haec quaestio occurrit, si articulum 175 veteris legis fund. comparamus cum art. 159 novae legis fund. Magistratus nominati, ex priori articulo, judicantur a Curiâ Supremâ de facinoribus quibuscunque, quae commiserunt dum officio suo fungebantur, perinde utrum *in officio suo* peccaverint, an vero tamquam *privati homines*. Ratione delictorum quae in exercendo officio commiserant, insuper articulus requirebat consensum expressum Ordinum Generalium (2). — Ex posteriori articulo ibi nominati tantummodo ratione delictorum quae ab ipsis commissa sunt *in officio suo*, a Curiâ Supremâ judicantur, et quidem ex accusatione, institutâ vel Regis nomine vel Secundae Camerae Ordinum Generalium jussu. Quaeritur, quid juris sit, si ante novae legis fundamentalis promulgationem facinus aliquid commiserit v. c. Ordinum Generalium delegatus, et illud facinus in judicium deferatur post novam illam legem promulgatam?

Quaestio est duplex: 1°. num ratione cujuscunque delicti, et igitur etiam ratione delicti quod inter *privata* delicta est habendum (si v. c. delegatus hominem trucidaverit), modo sit perpetratum dum officio suo fungebatur, delegatus a Curiâ Supremâ judicari debeat, habitâ igitur ratione solius *temporis* quo delictum commissum fuit; — 2°. num consensus expressus Ordinum Generalium sufficiat, qualem requirebat lex vicens dum peccatum est *in officio*, — an vero num accedere debeat accusatio instituta Regis nomine, sive a Secundâ

1) Nominatim de eo tantum est in Decreto 11 Dec. 1813, art. 15.

2) Cf. VAN HOGENDORP, l. l. VIII. p. 340; THORBECKE, l. l. II. p. 176 seqq. coll. I. p. 203. VOORDUIN, *Gesch. en Beg. der Nederl. Wetb.* VII, p. 370 sqq. ad Tit. XIV *Wetboek van Strafbordering*.

Camērâ Ordinum Generalium, qualis in novâ lege requiritur?

Observandum, in art. 159 novae legis fund. nullam requiri legem ulteriorem ordinariam. Placitum legis est absolutum; ergo valet confestim inde ab ipsius legis promulgatione, neque interest (secundum ea quae supra vidimus, § 20), quo demum tempore objectum litis natum fuerit. Non obstat, quod delegati Ordinum Generalium habuerint privilegium quoddam in art. 175 veteris legis fund., forum privilegiatum ratione cujuscunque tandem delicti, ipsorum personis inhaerens, aut praesidium aliquod tutelare in praevio consensu Ordinum Generalium requisito, ubi de delictis *in officio* commissis agitur. Privilegium istiusmodi adnumerandum foret *juribus legalibus*, i. e. iis, quae certis personis *ex solâ lege* competunt. Haece autem una cum lege quâ nituntur, evanescent. Igitur, inde a novâ lege fundamentali promulgatâ, etiam delegatus populi criminis reus haud secus atque civis privatus constituitur, si agitur de delicto *privato*, — nonnisi ex *accusatione*, in art. 159 novae legis fund. requisitâ, et quidem coram Curiâ Supremâ, si agitur de delicto quod *in officio* commissum est.

Inter officia a civibus praestanda potissimum referenda est militia armata, ab ipsis obeunda. De hâce materiâ lex fundamentalis nova quaedam constituit, quae, ut videtur, statim valent inde ab ipsius promulgatione. Salva quidem manet lex diei 8 Januarii 1817, S. B. n°. 1, aliaeque constitutiones quae eo spectant, usquedum lex de militiâ, quam requirit art. 189 novae legis fund., promulgata erit; sed solâ illâ lege militia non regebatur. In ipsâ lege fundamentali veteri, pariter atque in lege fundamentali novâ, quaedam occurrunt, quae hanc rem definiunt; in hisce ergo lex ordinaria necessaria non est, ut effectum suum sortiatur nova lex fundamentalis. Licet ergo in lege de militiâ anni 1817

quaedam constituta sint, desumpta ex veteri lege fundamentalis, illa ideo non migrarunt ex dominio legislatoris fundamentalis in dominium legislatoris ordinarii; ulterius illa non subsistunt, quam ipsa lex fundamentalis vetus, si in novâ lege fundamentalis alia constituuntur. Verbo: lex ipsa fundamentalis nova in hisce derogat et legi fundamentalis et legi speciali veteri, licet in ceteris ipsa nova lex fundamentalis rem universam, et igitur quatenus ipsa lex nova fundamentalis rem non definivit, legi speciali ordinandam mandaverit.

Ita milites sorte erant designandi ex art. 205 legis veteris fund., qui die 1°. Januarii cujusque anni nuptias non iniverint et decimum nonum aetatis annum intraverint, 23° non adimpleto. Lex nova fundamentalis (art. 181) eos vocat ad sortem, qui die 1°. Januarii 20^{um} annum intraverint, *perinde utrum nuptias iniverint nec ne*. Lex nova fundamentalis in hocce capite cum veteri comparata, diversi generis quaestiones habet. De nonnullis breviter videndum.

Qui sorti sese submiserunt ante legem novam fundamentalem promulgatam, et sorte non sunt designati, a militiâ immunes sunt inde a decimo nono aetatis anno inito, nec iterum sorti submitendi sunt anno 20°. Sorte liberatoriâ acquisiverunt immunitatem, quae ipsis novâ lege eripi non potest; facto legi consentaneo jus acquisiverunt.

Qui sorte designati sunt, et anno 19° in militum cohortes recepti sunt tempore quo lex nova promulgata fuit, provocare non possunt ad dispositionem novae legis fundamentalis, secundum quam militia demum 20° anno est obeunda. Facto enim legali in militiam sunt recepti; factum illud effectum suo carere, infectum reddi non potest.

Quum in militiam sorte designati intrarent, ad quinquennium tempus militiae erat praescriptum. Idem, apertis verbis, dicit art. 182 novae legis fund. Post quinquennium igitur liberantur. Per huncce articulum novae legis fundamenta-

lis tempus definitum est, et illud placitum valet omnibus omnino inde ab ipsius promulgatione, tamquam jus mere legale.

Circa liberationem eorum qui nuptias iniverant tempore quo nova lex fundamentalis promulgabatur, idem dicendum videtur. Causa haecce liberationis unice fundamentum habebat in *lege*, in art. 205 veteris legis fund. Illâ abrogatâ (1), cessat exemptio; igitur, secundum novam legem fundamentalem, sorti subjiciendi sunt. Aleam liberatoriam non jecerunt; nullo prorsus facto liberationem in futurum acquisiverunt ante novam legem fundamentalem promulgatam. Nec obstat defectus inscriptionis, de qua agitur in art. 181 in fine legis novae fund., inscripti enim revera sunt ex art. 52 legis diei 8 Januarii 1817 S. B. n^o. 1.

Pari ratione effatum articuli 208 veteris legis fund.: milites sorte designatos *numquam* et *nullo in casu* (ergo et consentientes) in colonias mitti posse, novâ lege in art. 185 abrogatum est. Statim valet haecce nova lex inde ab ipsius promulgatione; immunitas a militiâ in coloniis, est *jus mere legale*; de jure quodam *quaesito* sermo esse non potest, non enim *voluntate suâ* militiae facti sunt participes, adeo ut pacto quodam adjecto de militiâ praestandâ, conditiones constitutae videantur, sed *vi legis* in militiam sunt recepti.

De ceteris juribus legalibus et de placitis legis novae fundamentalis, quae statim post hujus legis promulgationem valent, et quae spectant cives ipsorumque jura atque officia, hic ulterius agendum non videtur. Plurima jam attigimus, ubi disputandum erat de regiminis formâ et de juribus atque officiis ad Imperii actus necessariis (2). Cum civium juribus atque officiis maximopere auctis confirmatis-

1) Art. 181 novae legis fund. Cf. VOORDUIN, l. l. ad art. 181—183, VI. p. 446, XV. p. 448, XVII. p. 449.

2) Vide infra § 16 et 20.

que haecce artissime cohaerent. Ita, ut obiter nonnulla attingam, facultas civium circa electiones, statim, idque summo jure, vim suam exercuit per legem provisoriam de electione, quae ipsius legis fundamentalis pars exstat; per intermedium enim tempus valet, usquedum lex specialis, in lege fundamentali requisita, erit perlata. Ita lex illa specialis, sua vice, statim inde ab ipsius promulgatione, legem illam provisoriam abrogabit, atque observanda erit, pariter atque, inde ab eo temporis momento quo lex diei 13 Aug. anni 1849 S. B. n°. 39, ex art. 3 § 2 novae legis fund. requisita, vim suam obligatoriam accepit, ex eâ lege facultas adfuit peregrinos remittendi et expellendi (1).

Quid multa? In hujus generis omnibus quaestionibus una eademque valet regula: novam legem valere statim inde ab ipsius promulgatione circa omnia omnino, quae unice in lege fundamentum habent. Ita principium non laeditur, *leges ad praeterita non esse revocandas, sed futura tantum spectare*. Hocce principium enim constanter servandum est, etiamsi subinde effectus habere videatur aequitati minus consentaneos, immo et licet inde pejor fieret conditio eorum, in quorum favorem lex quaedam constituta fuerit.

Exemplum habemus in articulo 2 add. novae legis fund. Per huncce articulum, lege speciali etiamnunc ferendâ, indemnitas est definienda, concedenda iis, qui per mutationes in lege fundamentali, aut ipsarum opportunitate, defuncti sunt munere, quod ipsis in omnem vitam, in perpetuum, oblatum fuerat. Inde a temporis momento, quo munere suo defuncti sunt, amiserunt quaecunque *jus ad ho-*

1) De iis quae valuerunt ante hanc legem latam, vidd. VAN HOGENDORP, l. 1. VIII. p. 224—226; THORBECKE, l. 1. I. inpr. p. 15—23. *Regtsg. Bijbl.* VI. p. 258—261.

norarium, quippe quod iis non privati commodi causâ, sed propter munus praestatur. Munera scilicet, ut juris publici, numquam objecta dominii privati fieri potuerunt; nullam actionem igitur ex jure stricto ad damni resarcitionem habent illi, qui munere suo defuncti sunt (1); munere sublato, omnia jura ac privilegia quae *lex sola* cum eo conjunxerat, sublata fuerunt. De *jure quaesito* ergo in hisce sermo esse non potest (2); sed quod *ipso jure* non habent, possunt illi qui munere defuncti sunt, saepe *ex lege* habere. Quid enim, si ea sit legis de muneribus officiiisque ratio, ut nemo non magistratus officialisque honestam missionem obtineat sine indemnitate quadam, quae fere annua quadam, dum vivat, pensione contineatur? Profecto periniquum foret, si, quod caeteris magistratibus atque officialibus munere defunctis tribui solet, solis iis negatum esset, qui propter mutatam legem fundamentalem munere destituti fuissent, quod ipsis per omnem vitam erat oblatum. Ex iis sane quae de lege condendâ acta sunt, manifestum est, hanc *aequitatis* rationem effecisse, ut articulus legi fundamentali additus fuerit (3). Quaeritur autem, num lex illa specialis eam vim habitura sit, ut ex eâ quantitas indemnitis numeranda foret, inde a die *quo dimissionarii munere suo defuncti sunt*? Observandum, quaestionis decisionem imprimis pendere ex ferendae legis interpretatione, quae sane ita se habere potest, ut indemnitis praestatio retrahenda sit ad temporis punctum, quo legitimam missionem obtinuerint. Sed quid, si taceat lex? Dubitandum videtur.

1) Vidd. responsiones Ministri qui internis rebus praefuit. (*Bijbl. tot de St. Cour.* 1848, p. 831).

2) Eandem sententiam fere omnes delegati Camerae Secundae Ordd. Gen. professi sunt in relatione: *Algemeen Verslag van 8 Aug.* 1848. (VOORDUIN, 1. l. ad art. 2 add. VII. p. 520, 521).

3) Vid. VOORDUIN, 1. l. ad art. 2 add. II. p. 518. XI. p. 523, 524.

1°. Articulus 2 add. enim suo munere defunctis non supplet *jus*, quo, sine expressa in lege fundamentali declaratione, non fruerentur; iis indemnitate ipsam non sancivit ipsa lex fundamentalis, iis tantum justam spem et expectationem adeo tribuit, ut *lege quâdam* de ipsorum commodis statueretur; lex illa specialis non tantum quantitatem indemnitatis definiet, sed insuper lex speciatim designabit, quibusnam illa indemnitas debeatur. — 2°. In *lege speciali* igitur, non in *lege ipsâ fundamentali* fons hujus privilegii donatoriis exstat. Ipsi ergo indemnitas, si ipsa lex de eo taceat, non debetur inde a novâ lege fundamentali promulgatâ, sed tantum inde a die quo specialis illa lex promulgatur; alioquin enim lex fingeretur jam exstitisse ante ipsius promulgationem, atque ita, contra juris principia, ad praeteritum revocaretur.

Multum nuperrime de quaestione disputatum fuit, utrum delegati in Camerâ Primâ Ordinum Generalium, officio suo, per art. 1 legis provisoriae de electione, defuncti inde a die quo novae Camerac inauguratae sunt, haberentur inter eos, qui art. 2 add. significantur. Summum Imperium scilicet ipsorum indemnitate non retulerat in specimine legis de redditibus et impensis anni 1850 (1). Videtur de iis haud secus esse existimandum, atque de cæteris, qui proprio magis nomine *magistratus officialesque* dicendi sunt (2). Itaque jam constat ex disputatis: delegatos illos, ante novam legem specialem ex art. 2 add. promulgatam, munere suo defunctos *nullo jure* uti; — per *solam legem*, etiamnum ferendam, definiendum esse, qualis

1) Vidd. orationes habitae in Camerâ Secundâ die 14 Dec. 1849. (*Bijbl. tot de St. Cour.* p. 107—111); *Diarium de Nederlander* diei 22 Dec. 1849, n°. 413.

2) Circa quaestiones de objecto legis de redditibus et impensis Regni, vid. supra § 16, p. 42 et 43.

indemnitas *iis* tribuenda sit. Hoc vero mihi quidem omni dubitatione majus videtur, et ex deliberationibus manifestum, tum in ferendo, tum in condendo legis fundamentalis de quo quaerimus, placito, vel imprimis etiam Delegatorum Primi Ordinis rationem habitam fuisse (1); in eo vero in diversas partes abiisse legislatores, *qualem* iis indemnitatem tribuendam esse censerent. Scilicet in ferendâ lege cogitarunt eam, quae expleret *bessem*, sive *duas partes* hactenus quocumque tandem titulo solutae pensionis (2), — hanc autem majorem quam par erat, haud immerito censuerunt (3), atque propterea *legi* definiendam reliquerunt (4). Caeterum vero, ut munere a certo temporis puncto privati fuerunt, sic ut indemnitas ab eodem inde tempore iis praestetur, lege, ne iniqua sit, crit cavendum. Quod nisi factum fuerit, secundum doctrinam quam supra exposui, indemnitas iis tantummodo deberetur inde a die specialis istius legis promulgatae, quam requirit art. 2 add. nova legis fund.

Sed haec quidem nunc hactenus; legislatoris est, certiora facere quae sunt incerta, atque ad aequitatis normam exigere ea quae ex juris apicibus videntur esse iniqua, — nostrum vero, jus interpretari et secundem leges vivere, ut verâ libertate fruamur.

1) Vid. *voorduin*, l. l. ad art. 2 add. VI, VII, p. 520, 521.

2) Idem *ibid.* I, p. 517, 518.

3) Idem *ibid.* III, VII, p. 518—521.

4) Idem *ibid.* VIII, X, p. 521—523.

T H E S E S.

I.

Publiciana actio rescissoria, diversa a vulgari, non exstat.

II.

Servus naturaliter creditor fieri potest, non unice domini, sed etiam extranei.

III.

Lex commissoria, in favorem fidejussoris expressa, non valet.

IV.

Consensus matris, quae non expresse filium suum naturalem agnovit, sed in actis publicis (geboorte-akten) tamquam mater inscripta est, ad matrimonium filii contrahendum requiri non potest ex art. 97 Cod. Civ.

V.

Minus accurata habenda est definitio possessionis in art. 585 Cod. Civ.

VI.

Art. 1132 Cod. Civ. voce: *schenkingen*, est strictae interpretationis, adeo ut eo non contineatur, quod heredi ex contractu, titulo oneroso, a defuncto obvenit.

VII.

In jure nostro distinguitur inter traditionem et inductionem in vacuum possessionem.

VIII.

Quod a privatis debetur ex emptione chartarum Loteriae (loterijbriefjes), et eo nomine creditum est, actione peti potest.

IX.

Procurator ipso die judicii peragendi (ten dienende dage) constitui potest in lite, ordinario modo tractandâ.

X.

Jus Mercatorium est jus sui generis.

XI.

Socio contra socium actio deneganda non est, licet societas non sit coïta secundum art. 22 Cod. Merc.

XII.

Per litteras recognitionis (Cognoscementen) possessionem acquiri tum juris principiis, tum consuetudini mercatorum convenit.

XIII.

Bodemeria ad iter perficiendum contracta, nomine: *itineris*, redditus non comprehenditur.

XIV.

Mercator, cui ex art. 900 Cod. Merc. moratorium concessum est, quod dicitur: *surséance van betaling*, durante moratorio, propter decoctionem fraudulentam (bedriegelijke bankbreuk) teneri posse videtur.

XV.

Ea, quae statuit Codex Poenalis Nederlandicus anni 1847 circa criminis vel delicti iterati reos graviori poenâ plectendos, praeferenda sunt placitis Codicis Poenalis anni 1810, etiamnum vigentis. Sed vel sic vitiis carere non videntur.

XVI.

Art. 363 Cod. Poen. non spectat eos, qui extra iudicium falsam declarationem jurejurando confirmarunt.

XVII.

Verbis: *officiers de police administrative*, in art. 373 Cod. Poen., universe non intelligendi sunt magistratus illi superiores, qui in administratione, ipsis mandatâ, in subditos jus inspectionis atque reprehensionis habent.

XVIII.

Poena personam delinquentis non egreditur. Placitum idcirco, quod art. 455 Cod. de Ord. Jud. Crim. continetur, juris poenalis principiis adversari dicendum.

XIX.

Collegium, quod in art. 372 Cod. de Ord. Jud. Crim. significatur verbis: *het kollegie hetwelk het arrest of vonnis heeft gevelde*; ratione sententiae, a Curia Provinciali confirmatae, non est Tribunal intelligendum, sed Curia

Provincialis. — Idem dicendum de art. 66 novae legis fundamentalis.

XX.

Inde a temporis momento, quo nova lex fundamentalis vim obligatoriam accepit, Praesides Collegiorum Communalium (Burgemeesters) a Rege dimitti potuerunt pro lubitu.